QUO TEMPORE
DIALOGUS DE ORATORIBUS
SCRIPTUS SIT QUAERITUR.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRI VAN DER HOEVEN

JUR. UTR. DOCT., IN FACULTATE JURIDICA PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

WILLEM FREDERIK KAISER P. J. FIL.

LUGDUNO-BATAVUS.

DIE XXVI M. MAJI MDCCCCII HORA IV.

LUGDUNI-BATAVORUM.

APUD E. J. BRILL.

MDCCCCII

TYPIS E. I. BRILL.

PARENTIBUS.

PRAEFATIO.

Si quis de Dialogo de Oratoribus se acturum esse profitetur, fieri non potest quin ab eo expectetur certa sententia de quaestione, iam plus quam trecentos annos inter viros doctos agitata: „sitne auctor Dialogi Tacitus, an Quintilianus, an Plinius, an Suetonius, an Maternus, an alius quidam, ceteroquin nobis ignotus?" Mihi tamen non in animo est hanc quaestionem iterum renovare, paucis modo meam sententiam proferam, ut deinde indicem quid sit huius meae dissertationis consilium.

Quamquam pronus sum ad opinionem, de qua fere iam inter omnes constat, nempe: Tacitum Dialogi auctorem esse, non tamen ausim eam proferre verbis tam certis quam sunt ea quibus e. g. Teuffelius [1]) utitur „Die Zweifel an dem Taciteischen Ursprung unserer Schrift, an sich schon sehr wenig berechtigt, sind vollends zu nahezu mutwilligen geworden seitdem A. G. Lange darauf hingewiesen hat dass wir für die Urheberschaft des Tacitus ein Zeugniss haben, wie für wenig andere Schriften aus dem Alterthum, das Zeugnis eines

1) W. S. Teuffel. Studien und Charakteristiken, pag. 439.

Zeitgenossen und Freundes und in einem Briefe an — Tacitus selbst". Unusquisque intelligit haec spectare locum, post Langii dissertationem notissimum, ex Plinii epistulis (IX 10).

Non pauci sunt qui hoc Plinii loco rem confici posse negent, suntque inter illos nonnulli qui, etiamsi ob alias causas certum ducant Tacitum Dialogi auctorem esse, tamen hac re in sua argumentatione uti noluerint (e. g. Steinerus, Haasius, Jansenius). Imprimis Steineri ratio tam lepida mihi visa est, ut facere non possim quin breviter eam hic repetam. Legimus in epistula nostra: „Cupio praeceptis tuis parere; sed aprorum tanta penuria est ut Minervae et Dianae, quas ais pariter colendas, convenire non possit... Itaque-poëmata quiescunt, quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas..." Verba „praecepta tua" et „quas ais" Dialogum spectare non possunt, videntur respondere epistulae cuidam Taciti, nobis amissae; mirum ergo esset si verba „tu putas" non eandem spectarent.

Accedit quod verba: „tu putas" in nostra epistula, non bene conveniunt cum: „ut ipsi dicunt" in Dialogo [1]).

Vide etiam Jansenium [2]) qui commemorat verba „nemora et luci", sic juncta, et alibi saepe occurrere, non ergo dici posse verba *Taciti*, sed locum esse communem.

Alio modo Gutmannus contra Langium egit. Rationibus prima specie probabilibus, hanc epistulam non esse Plinii sed ipsius Taciti, demonstrare conatur; Catanaeum in hac

---

1) Steiner. Ueber den Dialogus de Oratoribus. Progr. Gymn. Kreuznach 1863, p. 12.

2) Jansen. De Tacito Dialogi auctore. Diss. Gron. 1878, pag. 46 sqq.

re secutus[1]). Quae ratio cur probari tamen non possit, inter alios Westermannus[2]) in clara luce posuit.

Licet ergo Gutmanni argumentatio improbanda sit, tamen iis quae Steinerus Jansenius alii Langii invento objecerunt, unum hoc certum indicium nobis est ademptum; qui ergo Tacitum auctorem Dialogi esse credere non vult, non ut Teuffelio videtur „petulantiae" reus esse meret. Desunt enim indicia eius generis ut omnis justa dubitatio iis cedere debeat.

Ne codicum quidem consensui nimium tribuendum est: si enim, ut vulgo sumitur, omnes codices ex uno fonte fluxerunt, revera nihil nisi unius codicis auctoritatem habemus.

Quod aliquando prolatum est: Pomponium Sabinum grammaticum dicere „Tacitus appellat scripta Maecenatis calamistros", eius indicii vis iamdudum fracta est, post accuratas in huius grammatici aetatem inquisitiones. Apud recentiores de Dialogo auctores de ea re tacetur.

Multum, contra, a recentioribus tribuitur similitudini sermonis quam intercedere inter Dialogum et opera, quae omnium consensu Tacito tribuuntur, observare sibi visi sunt. Libenter confiteor a multis multa, quae huc pertineant, diligenter et prudenter esse collata, sed si cogito sermonis diversitatem unicam fuisse causam cur Lipsius, et post eum multi alii viri de litteris praeclare meriti, Dialogum Tacito abiudicarent, vix credere possum ex sermone umquam *certa ratione* effici posse Tacitum Dialogi auctorem esse.

---

1) Gutmanni dissertatio in Dialogi editione Orelliana. Turici 1830, pag. 111 sqq.

2) Westermann. Geschichte der Beredsamkeit. Theil II, pag. 239.

Quibus de causis res mihi nondum absoluta videtur, et, si Dialogus sine nomine auctoris nobis esset traditus, credo neminem ausurum fuisse pro certo Tacito eum attribuere, et sine dubio multis, qui eum legissent, ne in mentem quidem venisset putare Tacitum huius libelli auctorem esse.

Non tamen sine auctoris nomine *est* traditus, manebitque hoc semper magnum indicium, accedunt alia quaedam, non certa quidem, minime tamen spernenda. Ideoque mihi proposui in mea dissertatione de hac quaestione iam tacere, et semper loqui de „Tacito Dialogi auctore'', quasi res nulli dubitationi sit obnoxia; motus et hac ratione: si libellus quidam sub cuiusdam auctoris nomine est traditus, et si deinde aliquis contendere vult libellum eius auctoris esse non posse, in eum qui sic loquitur, onus probandi cadit, et, quamdiu certam probationem nondum protulerit, prudenter facimus si codicum (vel codicis) auctoritatem sequimur. Et hanc certam probationem nobis datam esse, hoc quidem tempore nemo fere contendit.

Aliam quaestionem tractare mihi in animo est, nempe: *quo tempore Dialogus sit scriptus.*

Quae dicenda mihi erant in tria capita divisi. Primo exponam rationes quae meam sententiam, quam mox proferam, corroborare videntur; duobus sequentibus adversariorum argumentationes refellere conabor, et secundo quidem capite ceteras, tertio eas quae ad sermonem pertinent. Hic illic fortasse, cogente materie, aliquid, quod potius in primo capite locum habere deberet, in secundo vel tertio tractabo, aut contra; sed quantum fieri potest propositam divisionem obtinebo.

CAPUT PRIMUM.

Quaerentibus quanam aetate Tacitus Dialogum scripserit, ante omnia ipse liber cum cura est inspiciendus, et videndum sitne indoles ea, sintne indicia eo spectantia, ut ex calamo iuvenis liber fluxisse videatur, an videantur inesse quae nos cogant aliter concludere.

Qui de libri indole egerunt minime consentiunt; satis erit duo exempla proferre: Jansenius [1]) „scatet totus liber iuvenili quodam ardore et abundantia"; Langius [2]): „si totum spectes, ea inest sententiarum gravitas, iudiciique maturitas, ea morum severitas ......"

Cum talia iudicia, inter se quam diversissima, ante oculos habemus, fieri non potest quin et nobis nascatur cupido attente Dialogum perlegendi, ut et ipsi de hac re sententiam pronuntiare possimus.

Sed iam statim hoc dictum volo: persuasum mihi est ex ipso sermone, per se spectato, non ergo collatis ceteris Taciti operibus, nihil de aetate qua Dialogum scripserit effici posse. Sitne sermo aliquis iuvenilis an senilis, quaestio est quae, me iudice, omnino diiudicari nequit. Sermo esse potest bonus, malus, siccus, uber aut quidvis, sed nihil

1) pag. 10.

2) Langius in ed. Dronkiana, pag. XXIII.

ex his, sive virtutibus sive vitiis, solis iuvenibus aut solis senioribus adiudicandum est.

Haec scribenti imprimis mihi ante oculos versatur una res quae huc trahitur: Gutmannus, qui Tacito Dialogum abiudicat, praeter alias et hac ratione est motus. Observasse sibi visus est in Dialogo quaedam alia vitia (de quibus infra agam), et his adnumerat synonymorum abundantiam: „ridiculum est" ait [1]) „binis pariter incedentibus verbis uti ubi singula sufficiebant", commemorat: „memoria et recordatio", „metus et terror", „plena et frequens domus", „veteres et senes", alia huius generis, quin etiam ex capite VII tres tautologias in uno enunciato: „fama et laus", „negotiosos et rebus intentos", „iuvenes et adulescentes" Ut dixi, haec abundantia inter causas est cur Gutmannus Tacitum Dialogi auctorem esse non credat. Qua de re nunc non agam, sed alii, cum Gutmanno censentes talem abundantiam inter vitia esse habendam, contenderunt ex ea apparere a iuvene Dialogum esse scriptum.

Sic Teuffelius [2]): „die theilweis leere Häufung von Synonymen", Jansenius l.l. „iuvenili abundantia".

Estne talis synonymorum abundantia praesertim iuniorum hominum? Mihi non videtur. Proprium est certi cuiusdam dicendi generis, non certae vitae aetatis.

Exempli causa commemorari potest Plinii Panegyricus, quam XXXVIII annos natus scripsit, satis matura ergo aetate. Iam primum caput magnam copiam synonymorum praebet: „bene ac sapienter", „usurpandus colendusque",

---

1) pag. 106.
2) St. u. Ch., pag. 439.

„praestabilius aut pulchrius", „castus et sanctus", „forte casuque", „coram ac palam", „aras et altaria", „caelum ac sidera".

Scriptorum nostratium saeculi XVII permulti hoc vitio, si sic vocandum est, laborabant, etiamsi minime-essent adulescentes. Prae manibus est liber cui titulus: „Beschrijving der stad Leyden". Scatet ille liber mira quadam abundantia, non tamen iuvenili; scriptus enim est ab Orlersio, viro consulari, provectissima aetate. Nihil ex hoc libro citabo nisi praefationis primam sententiam, satis superque erit ad meam thesem probandam: „Dat alle *Volkeren* en *Natiën* (waerde Lezers) van de gantsche waerelt tot allen tijde *genegentheid*, *lust* en *begeerte* gehad hebben om hun lieve *Vaderland* en *Geboorte-plaetsen* te *roemen*, te *prijzen* en te *verheffen* bewijzen genoegzaam de menigvuldige *Eerdichten*, *Schriften* en *Boeken*, de welke zij tot lof derzelven *geschreven* en *achtergelaten* hebben, en daarom heeft de allerwelspreekendste M. T. Cicero *wel* en *te recht* gezegt: dat een Mensche *gebooren* en *in de Waereld gekomen is* om drie zaken wille: om hem zelven om zijne vrienden, en om zijn Vaderland".

Nonne et Cicero dicit senectutem natura loquaciorem esse? [1]).

Nudam ergo, qua Dialogi sermo per se spectetur (de Dialogi sermone cum historicorum librorum collato, in tertio capite agam) disputationem, omittendam censeo.

Multa tamen restant alia indicia, ex quibus aliquid de auctoris aetate suspicari nobis licet.

Quae indicia omnia id demonstrare mihi videntur: „*satis*

---

1) Cic. Sen. XVI.

matura aetate, i. e. *post Domitiani imperium Tacitum Dialogum scripsisse.*

Postquam tandem meam sententiam protuli, enarrabo quibus rationibus nitatur.

Si inquirendum est in aetatem qua aliquis auctor opus quoddam scripserit, primo videndum est invenianturne in eo loci in quibus de se ipso loquitur, quod si fit: quomodo id faciat. Deinde utrum insit quaedam gravitas (non sermonis, sed ut ita dicam: ingenii), an potius modesta verecundia. Haec enim plerumque arguit auctorem hominem novum esse in litteris, illa monstratur vir maturior, cuius iudicium cum quadam reverentia auditur.

Ad haec diiudicanda in Dialogo nobis praecipue res erit cum duobus prioribus capitibus, quia in solis iis ipse auctor suo Marte verba facit.

Omnia quae sequuntur, quod quidem ad hanc pertinet rem, multo minoris sunt momenti, quamquam et ex his nonnulla, quae meam sententiam confirment, afferre posse mihi videor.

Gravissimum indicium ex quo solo, si quid video, fere iam apparet Tacitum non nisi provectiore aetate Dialogum scripsisse, semper manet et manebit locus ille, iamdudum notissimus, de quo omnes, qui de hac re egerunt, verba fecerunt, locus ex capite primo: „vix hercule auderem (tuae percunctationi respondere) si mihi mea sententia proferenda ac non disertissimorum, ut nostris temporibus, hominum sermo repetendus esset, quos eandem hanc quaestionem pertractantes *iuvenis admodum* audivi".

Nemo sic de se ipso loquitur nisi qui sit iam multo multoque maturior, plane ridiculum esset si quis viginti

quinque annos natus sic indicaret rem, quae facta esset cum duo de viginti vel viginti annos haberet.

Praeterea tota haec dubitatio in definiendo temporis spatio minime in usu est, nisi cum loquimur de re iam ante multos annos acta, in brevioribus temporis intervallis dicimus: „ante quinque vel septem annos", vel: „ante aliquot annos".

Quae hic legimus verba sunt eius, qui sibi in mentem revocet aliquid quod iam multo ante factum est, rem cuius annum iam non statim certis verbis indicare potest; hoc tamen scit: „se tunc temporis admodum fuisse iuvenem".

Iuvenis viginti quinque annos natus sine dubio tali dicendi ratione non esset usus, magnum enim erat periculum ne lectores in risum effunderentur, dicentes: „at et nunc admodum es iuvenis".

Operae pretium est meminisse quam eleganter auctor nostras Hildebrandus qui, cum scriberet „novellam" (ut dicitur) quam volo, non multum aberat ab aetate, qua multi credunt Tacitum Dialogum scripsisse, in simili casu de se ipso loquatur, „tres fere" ait [1]) „anni sunt, parce mihi utendum est annis, admodum enim sum iuvenis, ex quo...."

Videmus quam venuste de aetate sua auctor hic loquatur; numquam ille scripsisset: „admodum eram iuvenis cum...." vel tale quid; certe sic scribendo risum movisset, quod lepidissime nunc evitavit.

Nihil proficimus sic ratiocinando (quod multi fecerunt): „quid est iuvenis admodum?" „Iuvenis admodum" est

---

1) Een onaangenaam mensch in den Haarlemmerhout.

qui natus est circa duodeviginti vel viginti annos. Si ergo Tacitus Dialogum scripsit aetate vigintiquinque annorum non iam erat „iuvenis admodum" sed simpliciter „iuvenis". Ergo potest de sermone, quem audivit circa viginti annos natus, loqui quasi de re cui „iuvenis admodum" interfuit. Ex statu „admodum-iuvenali" in statum „iuvenalem" enim transiit.

Quid enim rei est? Prosus inutile est inquirere in exactam vocum „iuvenis admodum" significationem.

Vis talium locutionum variat variante contextu. Si quis triginta annos natus uxorem ducit, nemini in mentem venit dicere: eum „admodum iuvenem" duxisse; si, contra, eadem aetate quis moritur, nihil obstat quominus dicamus „admodum iuvenem eum obiisse".

Cicero in libro II de Oratore [1]) dicit se *adolescentulum* multa saepius ex Antonio, patruo suo, quaesivisse. Scripsit haec verba anno 55, significat ergo tempus a quo iam circa XXXV anni praeterierunt. Num tali locutione anno 85 esset usus?

Non mirum est hunc Dialogi locum iis auctoribus, qui putant ante Domitiani tempora librum scriptum esse, multas molestias praebuisse.

„Damals" Teuffelius [2]) ait „will der Verfasser iuvenis admodum gewesen sein, war also zur Zeit der Abfassung viel älter". Hoc et iis, qui ante Domitiani tempora scriptum contendunt, constat, ex quo sequitnr ut una voce tempus quo Dialogus habitus fingitur quantum fieri potest reducant, tempus quo editus videtur producant.

---

1) C. 1.
2) Geschichte der Römischen Literatur".

Habitus sermo creditur anno 74 (et de hoc anno dubitatur, qua de re infra), editus vulgo sumitur anno 81 (nisi quod pauci credunt primo tempore Domitiani scriptum esse, qua de re in secundo capite agam), ipso ergo postremo ante Domitiani regnum anno. Sic aegre vix septem anni colliguntur inter Dialogum habitum et editum, qui septem anni sufficere debent ad explendum tempus in quo „multo maturior" sit factus Tacitus.

Ex qua re et hoc sequitur: si interpretatio loci difficillimi, (et secundum multorum sententiam corrupti) qua demonstratur anno 74 sermonem habitum fingi, stare nequit (ut inter alios Nordenius putat), totam hanc rem admodum fieri incertam; septem annorum spatium enim iam nimis breve est: si ad quattuor annorum reducitur vix et ne vix quidem sufficere poterit.

Hic ergo locus, quo testatur Tacitus se tempore Dialogi habiti admodum fuisse iuvenem, iam per se spectatus maximi est momenti, fere certa res fit cum videmus esse etiam aliquot alios locos qui prorsus cum hocce congruunt.

Imprimis locum ex secundo capite videamus.

Loquitur Tacitus de Marco Apro et Julio Secundo, de quibus haec habet: „quos ego in iudiciis non modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico adsectabar, mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili".

Quo saepius hunc locum mecum perpendo, eo plus probare mihi videtur. Nonne haec verba nos cogunt confiteri qui hic loquitur iuvenem esse non posse? Quid cogitandum esset de eo qui XXV annos natus contenderet: se aliquando quodam ardore iuvenili hoc vel illud fecisse? Estne ille „ardor iuvenilis" tam alienus ab aetate qua adversarii Tacitum Dialogum scripsisse putant? Ridiculus

Tacitus fuisset, si iam tum tam provectum aetate se declarasset, ut de ardore iuvenili loqueretur quasi de re, ad quam leni cum risu et fere cum contemptu respicere posset.

Quin etiam verba „quodam" et „mira" proprio quodam colore hunc locum afficiunt. Incerta verba sunt viri maturioris, qui sentiat ardorem iuvenilem iam ante multos annos se reliquisse, viri qui paene sit oblitus quid ea verba significent, qui vix iam sibi fingere possit se umquam „ardore iuvenili" aliquid fecisse.

Haec vocis „quodam" est vis, neque alia vocabulo „mira" inest, cuius colorem non recte reddimus si simpliciter voce „magna" vertimus. Significat Tacitus studiorum cupiditatem tantam, ut „miretur" se umquam tantopere illorum studiorum cupidum fuisse. Totus locus est hominis, qui sibi ante oculos revocet felicia illa iuventutis tempora.

Si „quodam ardore" reddimus: „ardore nescio quem, iam fere oblitus sum quid sit" et „mira cupiditate": „cupiditate qua miror me umquam praeditum fuisse" fortasse aequo magis haec urgemus, sed colorem huius loci in iusta sua luce ponimus.

Domitiani regni acerbitatem magnopere hominum animos imbuisse, Tacitus in Agricola testatur; dicitque iis annis iuvenes ad senectutem venisse. Ex hoc loco a multis nectuntur observationes de sermone Dialogi et ceterorum Taciti operum, qua de re nunc non agam, sed et sui ipsius animi statum tristi Domitiani regno vehementer mutatum, i. e. acerbiorem factum esse, Tacitus hic indicare videtur. Illius acerbitatis indicia in Dialogo desiderantur, aiunt, et tamen si post Domitianum Dia-

logus esset scriptus, non fieri potuisset ut in eo res tam hilare et „iuvenili quodam ardore" tractarentur.

Si tamen locum de quo nunc agimus suo pretio aestimamus, huius virorum doctorum obstaculi (de quo ceteroquin infra fusius agam) magna pars removetur. Videmus enim hic loqui virum maturiorem, qui sentit iuventutis tempora et iuvenilem ardorem iam diu a se abiisse, sive solo annorum spatio, sive etiam tristes res et pericula quae subire coactus sit in causis fuerint.

Tanti momenti hunc locum duco ad meam thesem probandam, ut eum valere iubere nondum possim. Virum circiter XXV annorum de „iuvenili ardore" et mira studiorum cupiditate non loqui posse quasi de rebus quibus multo iam sit maior „tam certum apud me est quam si Apollo respondisset" (ut Lipsii verbis utar).

Neque negligendum est Tacitum dicere quidem se tunc temporis Aprum et Secundum studiose audiisse et adsectatum fuisse, sed nullam esse causam cur credamus eum statim post illis studiis imposuisse finem. Si praeterea appareret Dialogum habitum fingi non anno 74, sed anno 77, eo res adduceretur ut tantum non eodem tempore quo „mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili" Aprum et Secundum adsectabatur, hisce de se verbis uteretur: „*quondam* cum admodum iuvenis essem mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili A. et S. adsectatus sum"; quod satis, opinor, foret ludicrum.

Non abs re erit et hic locum citare e Ciceronis scriptis, qui nostro satis est similis. Cicero in Oratore [1]) agit inter alia et de oratione quam habuit pro Roscio Amerino:

1) C. XXX.

„quantis illa clamoribus *adolescentuli* diximus de supplicio parricidarum?... Nec vero hic erat unus *ardor* in nobis ut hoc modo diceremus omnia. Ipsa enim illa pro Roscio *iuvenilis redundantia* multa habet attenuata".

Dignissimus hic locus est qui conferatur non modo cum hoc loco („ardore quodam iuvenili"), sed etiam cum illo, de quo supra agebam („iuvenis admodum"). Cicero fere eodem modo de se ipso loquitur quo Tacitus, non tamen post VII annos, sed XXXII fere elapsis.

In proxima vicinia etiam alius locus legitur qui magni est momenti, et qui optime consentit cum duobus locis de quibus iam egi. Volo verba ex capite secundo: „venerunt ad eum Marcus Aper et Julius Secundus, celeberrima tum ingenia fori nostri". Quid verba „celeberrima tum ingenia fori nostri" sibi volunt? Certiores nos faciunt de personis Marci Apri et Julii Secundi, de Materno nihil huius generis additur, legimus enim: „nam postero die quam Curiatius Maternus Catonem recitaverat" e. q. s. Maternus ergo introducitur ut vir omnibus notus, notum etiam videtur eum poemata facere et tragoedias scripsisse. Marcus Aper contra et Julius Secundus introducuntur ut ignoti; id est ignoti tempore quo Dialogus editus est: tempore quo habitus fingitur minime erant obscuri, immo: „celeberrima ingenia fori".

Si demum post Domitianum Dialogus est scriptus, nihil hic molestum est, sed si aliter credimus: qui factum est ut illa ingenia tam cito in oblivionem abirent? Sunt qui dicant verba „celeberrima *tum* ingenia" non aliter intelligi posse quam ut dicat Tacitus nunc ambos mortuos esse. De Julio Secundo exstat locus apud Quintilianum [1])

---

1) X, 1, 120.

ex quo apparet praematura morte eum obiisse: „Julio Secundo, si longior contigisset aetas, clarissimum profecto nomen oratoris apud posteros foret". Ipse annus tamen incertus; de Marci Apri morte nusquam quidquam invenitur. Non facile credam duos viros, qui anno 74 (vel 77) in flore aetatis erant, anno 81 iam ambos mortuos esee; non tamen mihi in animo est negare id fieri potuisse.

Sed quid ad rem pertinet? Sive credimus ex verbis laudatis confici debere Aprum et Secundum tunc iam fuisse mortuos, sive dicimus nihil aliud in iis legi quam eos tunc fuisse celeberrima ingenii fora, nunc iam non esse, quaerendum est quomodo fieri potuerit ut eorum gloria tam brevi tempore sic interierit, ut, si quis sola nomina eorum poneret, putaret non sufficere illa, sed adderet eos quondam celeberrima ingenia fori fuisse.

Sunt viri docti qui rem sibi hoc modo explicent: celeberrima fori ingenia tunc temporis „quasi fungi e terra (ut nostrates dicunt) proveniebant", post duos vel tres annos interibant, aliique illis succedebant. Priora „celeberrima ingenia" e memoria excedebant, nomina iam non audiebantur. Non iis licebat dicere:

„Cum volet, illa dies quae nil nisi corporis huius
Ius habet, incerti spatium mihi finiat aevi:
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra feror, nomenque erit indelebile nostrum".

Illi non „fama per omnia saecula vivebant", eorum vita multo longior erat quam fama. Nihil mirum si post VII annos nemo fere esset qui nomina meminisset virorum, qui paulo ante celeberrima fori ingenia fuissent. Credat qui possit, sed etiamsi credere possem illam cele-

britatem non multo diuturniorem quam fungorum vitam fuisse, tamen haec ratio rem explicandi non convenire videtur cum colore qui huic loco inest.

Verbis enim „celeberrima tum ingenia fori nostri" dicere auctor videtur: „vos fortasse, lectores, illos viros non iam florentes vidistis, nescitis fortasse quantam gloriam, meae iuventutis tempore, habuerint, tamen illi, id temporis cum ego essem adulescens, celeberrima ingenia erant fori". Si haec verba legimus in aliquam conversa linguam hodiernam, etiam clarius hunc colorem perspicere videmur.

Inspiciamus e. g. Germanicam Wolfii versionem [1]: „Tags darauf nun empfing er den Besuch von M. Aper und J. Secundus. Dies waren damals die Berühmtheiten unseres Forums, Männer, denen ich nicht nur in Gerichtsverhandlungen eifrig zuhörte sondern mich auch in und ausser dem Hause mit grösster Lernbegier und einem gewissen Jugendfeuer anschlosz...." Vide etiam locum ubi verba „admodum iuvenis" leguntur: „Aber ich kann auf eine Unterredung zurückgreifen in welcher ich als ganz junger Mensch.... diese Frage habe erörtern hören".

In praecedentibus in capite secundo versabamur; in ipso quoque Dialogi initio iam habemus locum qui huc pertineat.

Priusquam de eo loco agam antecedat hoc: vir doctus Johnius in praefatione editionis suae [2]) sic agit: non sine causa Tacitus Dialogi formam elegit qua suam opinionem proferret. Ob aetatem suam iuvenilem verebatur cum

---

1) E. Wolff. Progr. d. Wöhlerschule Frankfurt 1891.

2) P. Cornelius Tacitus. Dial. de Or. erkl. von Dr. Const. John. Berlin 1899, pag. 6.

quadam auctoritatis specie sententiam suam pronuntiare, dialogum ergo scripsit ut niti videretur viris, quorum ingenia iamdudum omnibus erant nota.

Si hoc cogitamus, Johnius ait, bene demum intelligere possumus qua de causa Tacitus quae de oratoribus dicere volebat aliorum, non suo, nomine protulerit.

Quae ratio probabilis mihi non videtur. Etenim: primo, quia clarissima antiquitatis ingenia ut Plato, Cicero alii, ea forma usi sunt, multo magis erat metuendum ne, qui dialogum scriberet, iis viris se parem credere videretur, quam sperandum fore ut verecundiae id adscriberetur. Et praeterea: nulla causa est cur quaeramus quare Tacitus dialogi forma usus sit. Erat enim inter antiquos pervulgata, vix aptiorem formam Tacitus invenire potuisset. Nullum, ut puto, exstat aliud exemplum scriptoris antiqui qui verecundia motus hanc formam adhibuerit. Si ergo idcirco Tacitus eam elegisset, credo neminem quo consilio id fecisset animadversurum fuisse. Fac tamen Tacitum revera sic cogitasse ut Johnius putat, fac Tacitum Dialogi formam elegisse ut arrogantiae crimen effugeret: tum sine dubio ipse sua vineta cecidit.

Quid enim legimus in ipso Dialogi initio? „Saepe ex me requiris, Juste Fabi, cur, cum priora saecula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque floruerint, nostra potissimum aetas deserta et laude eloquentiae orbata, vix nomen oratoris retineat?" Num hoc libri initium est quale expectatur a verecundo iuvene, qui de aliqua re opinionem suam eloqui velit, vix tamen audeat? Num verecundus aliquis iuvenis ille est ex quo „saepe" homines „exquirant" quam habeat opinionem de quaestione inter omnes viros doctos agitata, de re omnium gravissima?

Nonne hic habemus praefationem qualis decet virum magnae auctoritatis, cuius sententia de gravi quadam quaestione cupide expectatur et libenter auditur? Dicere auctor videtur: „iam diu Juste Fabi" (et liquet non soli Justo Fabio librum esse scriptum) „sperasti fore ut ego aliquando mea auctoritate hanc quaestionem dirimerem, saepe me id rogasti, agedum, tuae voluntati obtemperabo, accipe hunc meum, iam diu expectatum, libellum".

Operae pretium est quaerere quis fuerit ille Justus Fabius. Pauca admodum de eo sunt tradita. Habemus duas ad eum epistulas Plinii. Altera est undecima libri primi in qua Plinius queritur se tam raras Fabii accipere epistulas, altera est secunda libri septimi (inscribitur: „C. Plinius Justo suo S." omittitur „Fabio") ex qua videre licet maxime eum esse negotiosum. Denique Justi Fabii nomen commemoratur in libri primi epistula quinta, ubi legimus Regulum et ab aliis et a Justo petiisse ut se cum Plinio reconciliaret.

Haec omnia non multum nos docent nisi: amicum Plinii fuisse. Ex epist. 2 libri VII coniicere nobis licet eum aetate maiorem fuisse quam Plinium; vide verba: „quaeram quid potissimum ex nugis meis tibi exhibeam. Interim abunde est, si epistulae non sunt molestae, sunt autem et ideo breviores sunt". Et ex hac et ex ep. 5 libri I apparere videtur virum fuisse non sine auctoritate. Praeterea si maior, nedum multo maior fuisset Tacito, non ex eo „causas corruptae eloquentiae" quaesivisset, neque Plinius tam familiariter eo esset usus. Ergo Tacito iuvene, iuvenis erat et Fabius. Si iuvenis alterum iuvenem rogat quid de aliqua re censeat, non *libro* ille respondet, sed domi inter se rem tractant.

Langio illa priora nostri Dialogi verba tanti momenti videbantur ad quaestionem de tempore quo scriptus sit dirimendam, ut de tota re nihil aliud dicat quam hoc: „aetatem nolim urgere, nam ab homine iam maturioris aetatis scriptum esse librum, ipsa praefatio docet, quum minime credibile sit, Justum illum Fabium ab adolescente rei gravissimae causam saepius requisivisse" [1]). Tam certa Langio res visa est, ut non opus esse duceret diutius insistere. Tamen Langio, ut notum, persuasum erat Tacitum Dialogi esse auctorem, quippe qui primus argumentum e verbis „nemora et lucos" petiverit et ediderit.

Addit quidem Tacitus: „cui percunctationi tuae respondere et tam magnae quaestionis pondus excipere ... vix hercule auderem, si mihi mea sententia proferenda... esset" sed ex his verbis non licet sic concludere: „videmus hic iuvenem; nam licet revera petiverit Fabius ut de hac re Tacitus sententiam proferret, propter aetatem respondere ille non audet". Nihil aliud hic habemus quam commune quoddam artificium, quo auctor, ut ad propositum sibi dialogum perveniat, utitur. Nempe si propter *aetatem* et parvam auctoritatem suis ipsius verbis uti noluisset, hanc causam adiecisset. Hic erat locus aliquid dicendi de sua aetate. Sequitur, contra, „se admodum iuvenem illum sermonem audivisse", sed nullum addit verbum ex quo coniicere liceat etiam nunc auctorem esse iuvenem.

Praeterea locutio „vix auderem" tam lenis est ut non de justa „verecundia" cogitandum sit.

Inutile mihi videtur sic loqui: „facile fieri potuit ut Fabius Tacitum de hac re interrogaret, Tacitus enim

---

1) Ed. Dronkiana pag. XXIV.

iuvenis iam multa laude florebat, ita ut nihil mirum sit eum Fabio visum esse virum magnae dignitatis et auctoritatis". Multum enim interest sitne aliquis iuridicus vel advocatus satis notus, an vir a quo expectetur iudicium de quaestione in re oratoria gravissima. Denique nos latet quanta illa Taciti gloria tunc temporis fuerit. Eratne iuvenis a quo multum in posterum sperabatur, an revera fama gloriaque florebat? Ultro hisce verbis ex epistula Plinii [1]) utor, quia ea vulgo laudantur, si efficere quis vult Tacitum iuvenem iam nobilissimum fuisse. Si tamen cogitamus hic loqui amicum familiarem, eumque amicum esse Plinium, et si praeterea contextum perpendimus, haec verba non nimis urgenda videntur.

Hisce absolvi quae dicenda videbantur de duobus prioribus Dialogi capitibus. Restant aliquot alia indicia de quibus breviter nunc agam.

Operae pretium est inter se conferre Agricolae et Dialogi praefationes; qua in re mente tenendum est, si Agricola primus Taciti liber est, multo minus verecundiae ei opus fuisse, quam si ante Domitiani imperium Dialogum scripsisset. Tempore enim quo Agricolam edidit non erat iuvenis sed vir maturior. Videamus ultima verba ex Agricolae praefatione: „non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse. Hic interim liber honori Agricolae soceri mei destinatus, professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus". Quantam hic videmus modestiam et verecundiam! Nonne verba „incondita et rudi voce" miranda essent in ore eius qui

1) VII, 20.

iam ante viginti annos de re gravissima egregium librum scripsisset? Hoc enim significant: „Si liber meus non iam talis est ut ob pietatem in Agricolam (cuius rei documentum est) laudari possit, tamen illa pietate excusetur". Toto coelo verba „laudatus erit aut excusatus" distant a Dialogi „saepe ex me requiris Juste Fabi". Habemus in hoc Agricolae loco iustam „captationem benevolentiae" (ut dicitur), quod proprium est eius qui primum suum opus in lucem mittit.

Non possum credere eundem virum, qui circiter XL annos natus tanta modestia de se ipso sit locutus, cum XXV annos haberet maxima fiducia in libri praefatione usum esse.

Non solum ex duobus prioribus Dialogi capitibus indicia hauriri posse supra dicebam; e. g. hoc videamus: si Dialogi personas in duas partes dividimus, hic habemus Maternum, Secundum, Messallam, illic solum Aprum. Aper in Dialogo, id ex totis eius orationibus apparet, magis quam ceteri iuvenis partibus fungitur. Nova ab illo defenduntur, ille maxime est quod hodie dicitur „ruber". Non minus certum est Tacitum multo magis adversariorum quam Apri partibus favere. Haec omnia mihi potius eius esse videntur, qui iam senior, quam qui adolescens sit. Denique Tacitus fatetur se iuvenem „mira studiorum cupiditate" Aprum adsectatum fuisse; tempore quo Dialogus editus est in omnia alia eum abiisse, ipse Dialogus docet. Longum intercessisse temporis spatium, non possum non suspicari.

Studendi finem cum fecisset Tacitus, artem rhetoricam in iudiciis exercebat, (teste Plinio), orator, aut ut ipsius Taciti verbis utar, potius causidicus, advocatus vel pa-

tronus erat. At in Dialogo demonstrare conatur artem rhetoricam non tam praeclaram esse quam ipsi rhetores credunt, quin etiam nihil aliud eam esse quam malum quoddam, quod temporibus turbulentis necessarium sit, neque maiorem, immo minorem, rhetorum gloriam esse quam poetarum, denique ipsam oratorum vitam inquietam esse et sollicitam.

Quomodo hae duae res inter se conciliari possunt? Molesti hic nihil est, si sumimus Tacitum, cum iam per multos annos artem rhetoricam coluisset, sensisse rhetorum gloriam ad beate vivendum non sufficere.

Si tamen credimus a Tacito iuvene Dialogum scriptum esse, hoc habemus: ut statim fere postquam artem rhetoricam exercere coeperit, etiam coeperit eam odisse. Nihilominus per XX fere annos solam eam artem colere pergit, priusquam aliis studiis operam dare incipit.

Mihi quidem illa ratio multo magis probatur quam haec!

Exstat una argumentatio, quae prolata est a Wutkio[1]) qua, quamquam ea defenditur idem quod et ego probare conor, uti tamen noluerim. Petita est ex epistulis Plinii, praesertim ex epistula XX primi libri. Est haec notissima epistula ad Tacitum scripta, in qua quaeritur praestetne brevis an longa oratio. Hoc argumentum, Wutkius ait, etiam in Dialogo tractatum est, absurdum ergo esset si Plinius, postquam e Dialogo cognoscere potuisset quid Tacitus de hac re censeret, eum in epistula de eadem

---

1) Dialogum a Tacito Traiani temporibus scriptum esse demonstravit Bernhard Wutk. Progr. des städtischen Gymnasiums zu Spandau 1887. Ipsam dissertationem inspiciendi copia mihi non fuit, niti ergo debebam iis quae Helmreichius (Bursian 55) et Gudemannus (in magna sua Dial. editione) de ea retulerunt.

quaestione interrogasset. Plinii epistula anno 98 est scripta, ergo post hunc annum Dialogus editus est.

Spectant haec locum ex capite XIX, ubi Aper dicit: „facile perferebat prior ille populus, ut imperitus et rudis, impeditissimarum orationum spatia, atque id ipsum laudabat, si dicendo quis diem eximeret" et quae sequuntur.

Haec Wutkio videntur responsum continere ad id quod Plinius rogavit; si ante annum 98 Dialogus scriptus esset, iam Taciti sententiam notam habuisset.

Sed rectissime Gudemannus demonstrat minime eam sententiam ex hoc loco Plinium cognoscere potuisse. Etenim in capite 31 Messalla, et in capite 38 Maternus (aut Secundus), longe alia dicunt.

Maxime ergo dubitandum erat Plinio, quae esset ipsius Taciti de hac re sententia.

Addere possum apud Tacitum, loco laudato, de longe alia re agi atque in Plinii epistula, quaeque primo aspectu similia videntur, revera multum differe. Apud Plinium quaeritur utrum, utilitatis causa, praestet longam habere orationem, in qua omnes partes et argumentationes in clara ponantur luce, an melius sit statim „ipsum iugulum premere". De dicendi genere nullum verbum; rogatur an *eiusdem oratoris*, in eodem dicendi genere, illa oratio melior sit, quae longior. „Et Hercule, ut aliae bonae res, ita bonus liber melior est quisque quo maior" Plinius ait.

Apud Tacitum tota disputatio est de ipso genere orationum; non tam quaeritur utrum orationem longam oporteat esse an brevem, sed potius an referta debeat esse philosophicis praeceptis et alia doctrina. Imprimis negat Aper sui temporis homines ferre posse oratores, qui multa dicant antequam ad ipsam rem veniant. Non tam brevi-

tate opus esse ei videtur, quam novis et exquisitis eloquentiae itineribus.

Quae contra Messalla dicit „nunc ignorari leges, etiam in cotidiano sermone vitia deprehendi". „In paucissimos" ait „sensus et angustas sententias detrudunt eloquentiam", quae omnia formam, genus eloquentiae spectant, de quibus non agitur apud Plinium.

Iam supra [1]) dixi eos, quibus persuasum est Dialogum ante Domitiani regnum scriptum esse, tempus quo editus est usque ad ipsum postremum Titi annum differre, quia sentiunt propter locum, in quo verba „admodum iuvenis" leguntur, necesse esse, ut temporis spatium non ita breve inter Dialogum habitum et editum intercedat. Vulgo itaque Dialogus editus sumitur anno 81, habitus anno 74. Hic annus nititur loco difficillimo capitis 17, vel potius toto hoc capite. Insunt in hoc capite quaestiones difficillimae, de quibus varii varia dixerunt.

Aper contendit dici fere non posse hunc vel illum oratorem esse antiquum, eos qui vulgo antiqui dicuntur eodem iure hodiernos vocari. Demonstrat inter Ciceronis mortem et diem quo Dialogus habetur non plus CXX annis intercessisse. De illis CXX annis hoc dicit: „nam ut de Cicerone ipso loquar, Hirtio nempe et Pansa consulibus, ut Tiro libertus eius scribit, septimo idus Decembres occisus est, quo anno divus Augustus in locum Pansae et Hirtii se et Q. Pedium consules suffecit. Statue novem et quinquaginta annos, quibus mox divus Augustus rem publicam rexit; adice Tiberii tres et viginti, et prope quadriennium Gai, ac bis quaternos

1) pag. 10.

denos Claudii et Neronis annos, atque illum Galbae et Othonis et Vitellii longum et unum annum, ac sextam iam felicis huius principatus stationem, qua Vespasianus rem publicam fovet: centum et viginti anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis aetas".

Conferenda sunt ultima verba capitis 24, ubi Maternus: „cum praesertim centum et viginti annos ab interitu Ciceronis in hunc diem ratio temporum collegerit".

Inter multas difficultates, quibus hic locus laborat, primo commemoranda sunt quaedam aperta vitia. Verba „statue novem et quinquaginta annos quibus mox Divus Augustus rem publicam rexit" ferri non possunt. Praeëunte Lipsio omnes viri docti ea in VI et quinquaginta mutaverunt [1]). In nonnullis codicibus, et fortasse etiam in archetypo, non legitur (in c. 17) CXX, sed CX; quae lectio refellitur loco laudato ex capite 24; tamen dolendum est huic loco, qui tanti est momenti, non minus quam duo aperta vitia inesse.

Walterus offendebatur voce „qua" (Vespasianus rempublicam fovet); quasi Vespasianus non toto suo regno, sed sexto demum anno rempublicam fovisset. Qua de causa in sequentibus editionibus „qua" in „quo" mutatum est. Si vox „statio" significat „annum", sine dubio haec mutatio necessaria est.

Iam quid hic locus, necessariis adhibitis emendationibus, nos docet? Vulgo sic viri docti argumentantur: ex verbis „sextam stationem" etc. constat sexto Vespasiani anno Dialogum habitum fingi. Nemo non statim videt duas res huic rationi obstare; primo sic habemus

---

1) Steinerus mavult VII et quinquaginta.

$56 + 23 + 4 + 28 + 1 + 6 = 118$ et non 120, dein quaeritur quomodo vox „statio" significare possit „annum".

Hae difficultates tam apertae sunt ut ii, qui sententiam quam modo commemorabamus defenderunt, iam ipsi eas removere conati sint.

Contra primum obstaculum sic pugnatur: „inter scriptores antiquos usitatum est semper, aut saltem plerumque, uti numeris „rotundis" qui dicuntur, minime rara sunt exempla ubi centum dicitur, cum XCVI aut CIV dicendum esset".

Accedit quod hic minime accurato numero opus est, demonstrare tantummodo Aper vult non maius temporis spatium intercedere quam unius hominis aetatem, quae centum et viginti annis aestimatur (vide exempla apud Johnium [1]); si revera non CXX annorum intervallum sed brevius intercedit, eo plus Aper probat.

Difficilius erat alterum removere obstaculum, i. e. explicare quomodo vocibus „sexta statione" sextus annus indicari potuerit. Qua de causa miror Johnium [2]) simpliciter dicere: „Aper berechnet dort die Summe der Jahre die... bis zum Beginn des *sechsten Jahres* der Regierung Vespasians verflossen waren" quasi res nulli dubitationi sit obnoxia. Aliter Jansenius [3]): „primum enim offendit stationis vocabulum, singulari notione hoc loco usurpatum". Concludit „stationem" significare posse munus quod alicui demandatur, in quo statuitur, saepe usurpari de imperio suscepto. Addit nonnullos thesem defendere: „stationem" vocem posse significare „annum", sic argumentando: „Cum

1) pag. 4.
2) pag. 3.
3) pag. 17.

imperatorum aetate annorum mutationes religiose celebrarentur et Kal. Ian. omnes iurarent in principis acta, cum imperatores praeterea in inscriptionibus semper tribuniciae potestatis annos enumerarent, non inepte imperii singuli anni „stationes" vocari possunt".

Credat qui possit; et Jansenio haec ratio minime probabilis videtur.

Etiamsi credamus hanc vocis „statio" explicationem accipi posse, restat aliud impedimentum. „Statue" Aper ait „LVI annos, adice II annos, quadriennium, bis XIV annos, unum annum, ac sex*tam* stationem". Quid unus hic numerus ordinalis inter tot cardinales?

Videntur sex priores Vespasiani anni non numerari et solius sexti ratio haberi. Dicendum erat: „et sex iam huius felicis principatus stationes".

Duae mihi res constare videntur: nulla probabili ratione, nullo luculento exemplo, demonstratum esse vocem „statio" posse significare „annum"; et, si demonstraretur, tamen locum suspectum manere.

Restat ut aut vox „statio" alio modo sit vertenda, aut locus emendandus.

Locum corruptum esse non pauci sunt qui putaverint; magna pars propositarum emendationum eo spectat ut locus sic restituatur, ut disertis verbis Aper dicat Dialogum haberi sexto Vespasiani anno.

Jansenius aliquot harum conjecturarum enumerat: „ac sexennem iam stationem", „ac sex iam, tam felicis... stationes"; „ac sextum iam (sc. annum) felicis huius stationis".

Aliam viam ingressus est Sauppius [1]: illi constat nu-

---

1) Philologus 19, p. 257.

merum CXX accuratum esse, (quibus de causis mox videbimus), quoquo modo efficiendum ergo esse ut summam CXX annorum obtineamus. Omnes numeri nituntur historia, mutari itaque nequeunt, excepto postremo numero: Vespasiani imperii. Hic ergo Sauppio mutandus videtur. Initium facit a coniectura Schelii et Spengelii, legentium: „ac sex, tam felicis huius principatus stationem, qua etc." eamque lectionem mutat in: „ac novem, tam felicis huius principatus stationem". Loco numeri „sex", qui casu quodam in textum irrepserat, in margine adscribebatur „novem", idque postea in textum invectum est, non tamen iusto suo loco, sed in initio sententiae, i. e. in verbis „statue novem et quinquaginta annos". Sic duo vitia una ratione corriguntur.

Ipse Sauppius intellexit suae coniecturae obiici posse quod summa sic fiat: $56 + 23 + 4 + 28 + 1 + 9 = 121$, non 120. Hoc obstaculum removere conatur dicendo: „da aber die 23 des Tiberius + 4 des Caligula + 14 des Claudius nur volle 40 jahre ausmachen, so ist in der that es doch ganz richtig, wenn 120 als summe der... vergangenen jahre gerechnet werden".

Sed hoc modo res absolvi non potest; ipse Sauppius dixit numerum CXX urgendum esse; non ipsum annorum qui intercedunt numerum, sed summam annorum quos Aper *pronuntiat* CXX esse oportet.

Argumentatio tamen qua fretus Sauppius contendit numerum CXX accurate esse accipiendum, melioris notae videtur. CXX numerum „rotundum" esse et loco veri numeri positum negat: „da so genau die einzelnen zahlen, aus denen sich die summe zusammengesetzt, angegeben werden". Haec Sauppii sententia iusta mihi

videtur. Verum sit antiquos auctores saepe uti numeris „rotundis" pro numeris aliquanto minoribus vel maioribus, tamen non facile mihi persuadetur umquam quemquam illa via eo progressum esse ut diceret: „adde 56, 23, 4, 28, 1, 6 et habes 120.

Accedit quod Aper dicit „CXX anni *in hunc diem* colliguntur" e quibus verbis etiam coniicere licet Aprum accurate hic loqui. Quo saepius hunc locum perpendo, eo magis mihi constare videtur locum aliter accipi omnino non posse.

Est locus in Germania [1]), dignus qui cum nostro conferatur: „ex quo si ... computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur". Hic revera Tacitus „rotundo" numero pro iusto utitur, sed addit voculam „ferme".

Supra [2]) dicebam duas modo exstare vias, quibus ex hoc labyrintho nos extricare possimus, quarum alteram esse viam coniecturarum. Si tamen constare videtur numerum CXX esse urgendum, nulla alia emendatio rem restituere potest, nisi quae verba „sextam stationem" sic mutet ut iis indicetur octavus Vespasiani annus. Eiusmodi emendatio nondum proposita est, neque mihi proponere in animo est.

Una via ergo restat: nempe ut verba „sextam stationem" sic explicentur ut Aper annum 77, octavum Vespasiani, indicet.

Hanc viam primus monstravit Steinerus [3]). Negat vocem stationem sic accipi posse, ut annum significet, et ita factum est ut ei in mentem venerit hac ratione rem

---

1) C. 37.
2) pag. 27.
3) pag. 17.

explicare: prima statio est Augusti regnum, secunda Tiberii, tertia Gaii, quarta Claudii et Neronis, quinta Galbae Othonis Vitellii, sexta Vespasiani. Locum vertit: „und sechstens jetzt die Verwaltung dieses gesegneten Prinzipats, durch welche Vespasian den Staat beglückt" [1]).

Steineri sententia magnam habet speciem veri, non tamen silentio praetereunda sunt quae Jansenius contra attulit. Sunt tria; primo contendit vocem „statio" nequaquam saepius ea, quam Steinerus ei tribuit, quam „anni"

---

1) „Ich kan es ruhig abwarten" Steinerus ait „ob etwa Einer diesen so hingeworfenen Gedanken in der Weise sich zu Nutze machen werde, wie es mir mit meiner im J. 1841 herausgegebenen commentatio de Horatio Carmine Saeculari begegnet ist, wo ich für die längst vermiszte bessere Anordnung dieses Gedichts zwei neue Schemata zur beliebigen Auswahl aufgestellt hatte, hinterher aber Herr Theodor Obbarius in seiner Ausgabe der Horazischer carmina, Jena 1848, das eine von Orelli schon 1843 approbirte Schema unter meinem Namen erwähnt und verwirft, das andere dagegen wie eine von ihm selbst ausgedachte Verbesserung anführt, statt der Wahrheit gemäsz zu bemerken, dasz das eine wie das andere Schema von mir zuerst aufgestellt worden war".

Cum hisce conferamus Nordenium, Die Antike Kunstprosa. Band I, p. 325 „Die Zeit, in welcher Tacitus das Gespräch gehalten sein lässt, ist natürlich ganz unabhängig von der Zeit der Abfassung. Ich würde das gar nicht erwähnen, wenn ich nicht in der Lage wäre, ein allgemeines kleines Versehen durch eine Bemerkung, die mir A. Kiessling in J. 1893 kurz vor seinem Tode machte, hier zu berichtigen (citat c. 17). Nun sagt man: das 6 J. Vespasians ist 75 n. Chr., das 120 J. nach Ciceros Tod 77 n. Chr., also stimmen beide Angaben nicht zu einander,... Nun ist ja aus den Worten ganz klar, dass die sexta statio keineswegs das Regierungsjahr des Vesp. bedeutet, sondern: statio I Augustus, II Tib., III Gaius, IV Cl. u. Nero, V Galba, Otho, Vit., VI Vesp. Also ist eine Zeitangabe nur in den 120 J. nach Ciceros Tod zu finden, d. h. das Gespräch fällt ins J. 77 n. Chr."

Minime dubito quin Kiesslingius suo Marte hanc argumentationem invenerit; me tamen iuvabat ostendere quam verum vaticinium Steinerus pronuntiavisset. Non enim in hoc fuit felicior invento, quam in sententiis quas de Carmine Saeculari proposuit.: et hoc postea ab alio quasi prorsus novi aliquid in lucem est editum.

significatione occurrere. Secundo computat Vespasiani regnum non esse sextam, sed septimam „stationem": I Aug., II Tib., III Gaius, IV Cl., V Nero, VI G. O. V., VII Vesp. — Claudii et Neronis annos auctor in unum comprehendit propter nullam aliam causam quam quod annorum numerus erat idem, „ne esset longus".

Denique hoc ei molestum videtur quod nunc nullum adest indicium anni quo Dialogus est habitus; „etiamsi" ait „Aper (hunc numerum) ut omnibus interlocutoribus notum silentio praeterire potuit, tamen exprimere debuit ille qui dialogum litteris consignavit, ut lectores scirent, quo anno sermonem institutum esse finxisset" [1]).

Quae rationes, quamquam minime sunt spernendae, tamen non sufficere mihi videntur ad totam Steineri sententiam refellendam. Praesertim tertium Jansenii argumentum non est magni momenti; etenim minime desideratur aliquid; ut legentes scrirent quo anno Dialogus habitus fingeretur, satis erat anno quo Cicero obiit adicere CXX annos.

Hic ergo molestia est nulla.

Primum et secundum Jansenii obstaculum inter se cohaerent, ita ut una ratione ambobus sit respondendum. Quod ut faciamus, opus est ut et ipsi in vocis „statio" inquiramus significationem.

Vox „statio", quae est substantivum verbale verbi „stare", proprie ergo significat τὸ ἑστάναι, sic manere in „statione": „stilstaan"; ex hac significatione facile sequitur ut „statio" indicet locum ubi quis stat vel manet, ubi suam habet stationem. Saepissime usurpatur ubi de mili-

1) pag. 16.

tibus sermo est (wachtpost), et sic etiam ipsi milites, qui in „stationes" mittuntur „stationes" dici possunt. Habetque multas significationes quae hisce sunt similes. A loco in quo aliquis stat, non multum differt munus quod alicui mandatur, et sic saepe, ut Jansenius recte annotat, de imperio suscepto usurpatur.

Aliud quid hic requiritur. Qui anno 74 dialogum habitum putant, non possunt non sumere vocem „statio" annum significare, quod quo modo e vocis „statio" notione elici possit me quidem latet.

Si contra credimus stationem significare temporis spatium, quod in se dici possit quodam modo absolutum (quod nos „periodum" vocamus), nobis res erit cum Jansenio, non sine causa perhibente Vespasiani regnum non sextam sed septimam „periodum" esse.

Nulla enim exstabat causa cur Claudii et Neronis regnum unam „periodum" Aper vocaret; coniunctim haec regna prolata sunt hanc solam ob causam, quod amborum numerus XIV annorum est. „Periodus" res est quae ad historiam pertinet, et in historia nulla causa inveniri potest, cur haec potissimum imperia coniungantur. (Galbae, Othonis, Vitellii, regna suo iure Aper quasi unam „periodum" iungere potest; horum enim imperia tam cito inter se secuta sunt, ut ipse qui regnabat fere nesciret an non iam alius rerum potitus esset. Rectissime hic turbulentus annus una „periodus" dicitur).

Restat ut quaeramus an vox statio possit significare: *unam ex partibus e quibus summa consistit* (een post in de optelsom). Si hoc fieri potest, revera Vespasiani anni „sexta statio" dici possunt.

Maxime vereor tamen ut hoc effici possit.

Fortasse tamen sic est ratiocinandum: si cui aliquot numeri sunt addendi, ut summam ex iis conficiat, post singulas additiones paulisper subsistit; „stationem" habet. Conferamus nunc Graecum verbum quod „statio" vocabulo simillimum est. Volo vocem „σταθμός", quae, ut notum, inter alia significat stationes in regno Persico, quae unius fere diei spatium inter se distabant. Deinde σταθμός esse coepit iter quod inter duos σταθμούς est.

Haec mutatio significationis non proprium quoddam est vocis „σταθμός", sed natura inesse videtur in omnibus vocabulis, quae huius generis transitum pati possunt.

Sic e. g. in India nostra Orientali vox „palus" saepissime usurpatur pro itineris parte quae inter duos palos interest [1]). Etiam incolae nostrae orae maritimae, quia in litore, intervallis M passuum, pali positi sunt, saepe dicunt hunc vel illum locum aliquot „palos" abesse.

Quamquam exempla afferre non possum, vocis „statio" naturae inesse videtur ut in quodam contextu indicare possit spatium, quod inter duas stationes interest. Si hac ratione nostro loco utimur, hoc obtinemus: in enumerationibus inter singula membra intercedunt „stationes"; inde ipsa illa membra „stationes" dicuntur.

Si hoc ita est, genitivus „felicis huius principatus" genitivus est qui dicitur explicativus, et pro „qua" voce, cum omnibus recentioribus editoribus, legendum est „quo",

---

1) O, zoek gastvrijheid eer bij Turk en Arabier
En roem de deugden niet, die in dit land eens blonken,
'k Liep zes en twintig *paal* van Buitenzorg tot hier,
Mij werd geen stoel gezet, geen dronk werd me ingeschonken.

Haec verba qui „multa tulit" scripsit in porticu aedium non nimis hospitalium. (Brieven, 1e periode, pag. 123).

et sic locus vertatur: „en als zesde post deze gelukkige regeering waarmee Vespasianus den staat gelukkig maakt".

Res tamen mihi valde dubia videtur, et si dici possem demonstrasse in mea versione voci „statio" tribui notionem, quae ab huius verbi natura non prorsus sit aliena, iam satis superque esset.

Hoc tamen luce clarius apparet: e textu tradito minime constare sexto Vespasiani *anno* Dialogum habitum esse fingi. Et si reputo verba „sextam stationem", si quis interpretari ea vult, esse difficillima, eademque verba multis visa esse corrupta, si reputo numerum CXX annorum post Ciceronem mortuum, (etsi dubitatur sitne urgendus an non) constare; mihi multo probabilius videtur anno 77 Dialogum habitum fingi, quam anno 74.

Rem alicuius certe momenti esse, nemo non videt. Si enim anno 77 dialogus habitus fingitur, illud spatium, quod non sine magno labore in VII annos erat distractum, in IV aut etiam minus denuo contrahitur. Nemo negat ex verbis „admodum iuvenis" apparere non tam breve hoc intervallum esse posse, et quibus VII anni sufficere videntur, ii fortasse IV annorum spatium iam nimis breve esse censebunt.

Unum tamen exstat indicium, ex quo certissime apparere multi dicunt anno 77 Dialogum habitum fingi non posse.

Legimus in Dialogi capite 37 „nescio an venerint in manus vestras haec vetera, quae in antiquariorum bibliothecis adhuc manent et cum maxime a Muciano contrahuntur, et iam undecim, ut opinor, Actorum libris et tribus Epistularum composita et edita sunt". Tempore ergo, quo interlocutores sermonem habent, Mucianus vive-

bat. Confertur unus [1]) e locis in quibus Plinius Mucianum citat, ubi agitur de conchis, „haec sint dicta" Plinius ait „de corpore, sed dicemus et de nationibus, ne fraudentur gloria sua littora, sed dicemus aliena lingua, quaeque peritissima huius censurae in nostro aevo fuit. Sunt ergo Muciani verba quae subiiciam". Plinii naturalis historia edita est anno 77, Mucianum tunc non fuisse in vivis ex hoc loco videmus, itaque ut ante annum 77 Dialogus habitus sit necesse est.

Cui rationi, ingeniosissime a Petero excogitatae, tamen quaedam obiicere velim.

Primo quaerendum est reverane constet Plinii verba sic esse interpretanda, ut plane ex iis appareat Mucianum, tempore quo Plinius scribebat, iam fato esse functum. Eodem modo quo verba ex capite secundo „Aper et Secundus, celeberrima tum ingenia fori nostri" aliis indicare videntur nunc ambos esse mortuos, alii tamen putant non necesse esse sumere eos iam obiisse, sed solum apparere eos, tempore quo auctor scribit, non iam esse celeberrimos [2]), sic et hic locus variis modis explicari potest.

Nempe si Mucianus, quod non tam absurdum, iuventutis praesertim tempore, in conviviis, suam concharum scientiam collegit, eamque scientiam postea in libris adhibuit, nihil obstat quominus Plinio licuerit dicere, etiamsi Mucianus viveret, eius linguam concharum censurae peritissimum in suo aevo *fuisse*.

Praeterea nimium dicitur si sic loquimur: anno 77 Mucianus mortuus est, ergo *ante* annum 77 Dialogus

1) XII, 6, 32.
2) cf. pag. 15.

habitus est. *Poterat* certe fieri ut priore parte anni Dialogus haberetur, posteriore parte Mucianus obiret et Plinius opus suum ederet.

Obiici potest mirum hunc esse casum, et ne Plinium quidem uno anno opus suum absolvisse. Si ergo ipso anno 77 Mucianus mortuus esset, vivente Muciano Plinius locum, de quo agimus, iam scripsisset, essetque sumendum locum postea a Plinio, antequam librum ederet, esse mutatum. Quod non facile quis sumet; non credibile est Plinium, nuntio de Muciani morte allato, statim hunc locum mutasse.

Sed si *ante* annum 77 Mucianus est mortuus, anno tamen 74 aut 75 vivebat etiam, vel sic verisimile videtur Plinium librum suum duodecimum vivente Muciano scripsisse; sumendum itaque foret Plinium postea locum mutasse, quod et ideo non probabile videtur, quod tum magis pressis verbis Muciani mortem indicasset.

Si tamen, ut mihi persuasum est, non ante sed post Domitiani regnum Dialogus editus est, omnes has subtilitates mittere possumus. Nihil mirum est Tacitum post XX annos non mente tenuisse ipsum annum quo Mucianus obiisset, et in fingendo Dialogi tempore parvum hoc „anachronismi" vitium commisisse.

CAPUT SECUNDUM.

In primo capite demonstrare conatus sum multa exstare indicia, quae, si non plane, fere tamen probent Tacitum non nisi maturiore aetate Dialogum scripsisse.

Quod tamen non sufficit ad propositum meum absolvendum, multa enim prolata sunt ab adversariis, quibus est respondendum. Nam si equidem nonnulla congessi quibus mea sententia defendatur, non tamen possum refellere quae ab aliis contra illam dicta sunt, non plus profeci quam ut „rem non liquere" confitendum sit.

Restat ergo ut ea hic recenseam, dicamque quae mihi iis obiicienda esse videantur.

In duas partes argumentationes illae dividi possunt. Quarum prior, secundum multorum sententiam longe maioris momenti quam altera, petita est ex diversitate, quae observatur inter Dialogi orationem et ceterorum Taciti operum. Qua de re, quia propria quaedam eius natura est, separatim in tertio capite agam.

Hoc ergo capite de altera modo parte verba faciam.

Qui docent a Tacito iuvene Dialogum esse scriptum, in tempore accuratius definiendo non omnes consentiunt.

Maiori parti persuasum est neque post Domitianum

neque sub eius regno librum editum esse, non tam pauci tamen sunt qui credant prioribus Domitiani annis Tacitum scripsisse. (E. g. Westermann, E. Wolff, Vogel, Eckstein, Strodbeck).

Et hi in duas partes discedunt, si rogamus quomodo sit removenda molestia, quae huic sententiae inhaeret, nempe qui *Domitiani* tempore Maternus possit dicere [1]) „quid multis apud populum contionibus (opus est) cum de republica non imperiti et multi deliberent, sed sapientissimus et unus?" et quae sequuntur. Nam quamquam ipse Maternus fingitur loqui sub Vespasiani regno, nemo negat auctorem haec non scribere potuisse nisi sub bono imperatore.

„Ironice" haec a Materno dicta esse sunt qui credant. Hanc sententiam primus protulisse videtur Strodtbeckius [2]), cuius inspicere dissertationem mihi non licuit; defensa postea est, inter alios, a Westermanno, qui sic fere dicit: Maternus quasi caput est disputationis, in eius aedibus sermo habetur. Odit Maternus tyrannos (vid c. 3 et 4), quin etiam illud odium postea causa mortis ei fuit. — (Hoc nititur loco Dionis Cassii LXVII 12 „Μάτερνον δὲ σοφιστὴν ὅτι κατὰ τυράννων εἶπέ τι ἀσκῶν [3]), ἀπέκτεινε", sc. Domitianus. Sed viris doctis hic de eodem Materno esse cogitandum, minime certum videtur. Primo „σοφιστής" vocabulum non convenire videtur in nostrum Maternum, praesertim quia e Dialogo scimus eum iam ante Domi-

---

1) C. 41.

2) Th. Fr. Strodtbeck, ostenditur Materninae personae in dial. de oratt. obviae vultus ironicus. Heilbronn 1831.

3) „τι ἀσκῶν", potius legendum „τι ἀστεῖον", vide Hartmanum Mnemosyne A. 1893, pag. 395.

tiani tempora arti poeticae se dedisse. Praeterea Jansenius [1]) ostendit nomen Maternum tunc temporis minime fuisse rarum; nihil certi ergo ex Dionis Cassii loco conficitur. Ceteroquin, quoquo modo haec res denique absolvitur, meae sententiae neque obest neque prodest, igitur mittere eam possum). — Non credibile videbatur eundem in fine orationis suae laudationem tyrannorum habere voluisse; quod impedimentum solvitur si „ironice" dicta haec accipimus. Si sic hunc locum intuemur, verba: „erant quibus contradicerem, erant de quibus plura dici vellem, *nisi iam dies esset exactus*" aliquid significant longe diversum a decantata formula finiendi dialogi: pertaesum est auctorem diutius simulare, ideoque finem facit.

Quae ratio quominus probetur, multa obstant. Primo magnum erat periculum ne nemo mortalium hanc ironiam observaret; et revera recentiorum ante Strodtbeckium nemo observavit.

Si quae Maternus de tyrannis dicit ironice sunt accipienda, hoc per totum librum valere debet. Ut nunc res se habet, nemo negat verba Materni [2]) „leges quid Maternus sibi debuerit [3]) et agnosces quae audisti. Quod si qua omisit Cato, sequenti recitatione Thyestes dicet" sine ulla „ironia" dicta esse.

Persona Materni minime ergo sibi constaret; sed si simpliciter rem sic explicamus, ut Maternus oderit quidem tyrannos, tamen Vespasiani regno satis sit contentus, nulla est molestia.

---

1) pag. 27.

2) C. 3.

3) Sine dubio cum Nipperdeyo legendum est: „leges, inquit, si libuerit et agnosces" e. q. s.

Multo etiam maioris momenti hoc videtur: elegantissima et sapientissima argumentatione Maternus demonstravit, florentem eloquentiam et turbulentum civitatis statum semper iuncta esse. „Eloquentia est [1]) alumna licentiae, quam stulti libertatem vocant [2]), comes seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine veritate, contumax, temeraria, adrogans, quae in bene constitutis civitatibus non oritur". Et sic respondetur quaestioni, quae in praefatione posita est, „cur nostra aetas laude eloquentiae sit orbata". Nunc enim optimi cito consentiunt, nunc non imperiti et multi sed unus et sapientissimus deliberat. Si haec ut „ironice" dicta accipiuntur, non solum tota Materni oratio perturbatur, sed etiam desideratur responsum ad quaestionem quam Justus Fabius posuit, et totus liber denique prorsus fit inutilis.

Transeo ad sententiam eorum, qui putant prioribus Domitiani annis Dialogum scribi potuisse, quia huius principatus initium satis fuerit mite.

Qui sic loquebantur statim sentiebant sibi ante omnia unum impedimentum esse removendum [3]), quod impedimentum inest in ipsius Taciti verbis, quae leguntur in Agricolae praefatione: „quindecim annos ... quibus iuvenes ad senectutem ... per silentium venimus".

Dicitur hic de solis historicis operibus nobis esse cogitandum, illud „silentium" non spectare libros qui de quadam arte agunt, non libros rhetoricos.

---

1) C. 40.

2) Si verba „quod stulti libertatem vocant", „ironice" essent dicta, etiam serium non esset quod sequitur: „quem enim oratorem Lacedaemonium, quem Cretensem accipimus? quarum civitatum severissima disciplina et severissimae leges traduntur", et quis hoc credere potest?

3) Idem obstat Strodtbeckii sententiae.

Haec, per se spectata, recte sunt observata, nam constat et sub Domitiani regno libros esse editos; Tacitus modo hoc dicere vult: XV illis annis nullum librum editum esse, in quo auctor libere profiteri auderet, quid censeret de rebus ad rem publicam pertinentibus.

Qui Dialogi solum titulum legisset, fortasse putaret eum esse numerandum inter libros, qui simpliciter de quadam arte agunt, sed qui ipsum librum legit statim videt non tam innocuum esse. Habemus locum, supra laudatum, de Catone, habemus locum de antiquae libertatis usu, liberrime auctor in capite 13 loquitur de Crispo et Marcello (qui etiam sub Domitiano „floruerunt"), „caninam" vocat eorum adulationem.

Nulla ergo videtur esse causa, cur historica opera sub Domitiano edi non potuisse sumamus.

Alii longius etiam progrediuntur et dicunt vocem „silentium" omnino non pertinere ad libros, sed ad libertatem loquendi in senatu et contionibus. Sed, cum sub Domitiano in senatu nemo libere loqui auderet, cur non idem de libris valeret?

Et cum inspicimus verba, quae locum nostrum proxime antecedunt, videmus ea saltem imprimis spectare librorum auctores, quibus per XV annorum spatium silentium erat impositum, „ut corpora nostra" ibi legimus „lente augescunt, cito extinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris, subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo, et invisa primo desidia postremo amatur". Etiam verba, quae locum de „silentio" sequuntur, nos cogunt ante omnia de libris cogitare.

Etiam hoc modo nonnulli argumentantur: cum Tacitus dicit per XV annos tacendum fuisse, numerum XV no-

minat quia tam diu Domitiani regnum duravit, sed non hic numerus est urgendus. Fere oblitus iam auctor est prioribus Domitiani annis non tam alto silentio opus fuisse.

Fieri certe potuit, ut prioribus Domitiani annis libertas nondum tam vehementer opprimeretur quam postea, etiam credere possum propter ingentem saevitiam, quae deinde secuta est, nonnullos huius rei postea oblitos esse. Num tamen credendum est ipsum Tacitum oblitum esse se ipsum prioribus Domitiani annis librum edidisse?

Fuerit initium Domitiani regni mitius quam tempus quod deinde est secutum, tamen rogandum est an non et in initio imperii satis malus et crudelis iam fuerit imperator. Ipse Tacitus hoc testatur in Agricola [1] „ita festinatae mortis grande solacium tulit (Agricola): evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non iam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rem publicam exhausit".

Apud Suetonium [2]) legimus Domitianum *in initio* sui regni in deliciis habuisse „secretum quotidie sibi horarium sumere, nec quidquam amplius facere quam muscas captare ac stilo praeacuto configere"; quod non sublimem animum testatur!

Omnia etiam obstacula quae obiici possunt eorum sententiae, qui sub Tito Dialogum scriptum putant, non multo minora sunt, si in initio Domitiani regni Dialogum scriptum credimus.

---

1) C. 44.
2) Suet. Dom. C. 3.

Longe maior pars virorum doctorum negat sub Domitiano Dialogum esse editum, et quaestionem ponunt scripseritne Tacitus ante an post Domitianum?

Inter causas, cur multis persuasum sit post Domitianum Dialogum scribi non potuisse, imprimis commemoranda est una, de qua in sequentibus paginis acturus sum.

„Qui fieri potest" dicitur „ut post XX annos litteris auctor mandet sermonem, quem ante illud temporis spatium audiverit?" Praesertim si hoc se facturum promittit: „isdem numeris isdemque rationibus, servato ordine disputationis" [1]). Dialogum non revera habitum sed fictum esse neque illi negant, postulant tamen ut cum ratione quadam fingatur („man musz auch mit Verstand fingiren" Steinerus ait) [2]).

Non mihi in mentem venit contendere verisimile esse umquam quemquam tantopere memoria valuisse, ut post XX annos sermonem, quem audivisset, satis accurate reddere posset, praesertim si ipse concedat, se non usurum esse annotationibus quas inter sermonem fecerit, sed niti „memoria et recordatione". Cum posteriore parte tamen argumentationis, quam modo commemorabam, non consentio, non enim credo in huius generis rebus „cum ratione" esse fingendum.

Paradoxon hoc fortasse videbitur; non pauca tamen afferri posse quae meam sententiam sustineant, demonstrare conabor.

Dialogorum auctores tantopere persuasum habuisse videntur neminem credere se veros sermones referre, neque

---

1) C. 1.
2) pag. 18.

ipsi voluisse quemquam e lectoribus eiusmodi aliquid putare, ut quidvis sibi in hac re licere putaverint. Saepe quidem videmus eos aliquantisper veritatis speciei consulere, sed deinde prorsus hanc speciem negligunt.

In dialogis ubique infinita regnat libertas, neque hoc sine causa. Si quis enim dialogi formam elegit, ut ea suam opinionem legentibus tradat, propter nullam aliam causam sic facit, quam quod ea forma ei idonea visa est. Non in animo ei est lectores ludibrio habere, nequaquam ergo dat operam ut credant lectores revera se referre aliquando habitum sermonem.

Quaedam luculenta exempla Platonis dialogi nobis praebent. Inspiciamus e. g. Parmenidem, dialogum satis longum, et qui inter difficillimos Platonis dialogos est numerandus. Non facile, ut opinor, cuidam qui eum audivisset, erat postea aliis narrare. Quae tamen huius dialogi est oeconomia?

Cephalus nobis narrat sibi in via obviam venisse Adimantum et Glauconem. Cephalus Adimantum rogat num *ante multos annos* frater Antiphon ab amico suo Pythodoro audierit sermones Socratis et Zenonis et Parmenidis. Antiphon, qui iam per magnum temporis spatium philosophiae non studuerat, nunc Cephalo narrat dialogum de quaestionibus philosophicis maxime intricatis, quem antea Pythodorus ei retulerat, qui in eo sermone auditor interfuerat. Haec Cephalus iterum amicis suis narrare videtur.

Num potest quidquam excogitari quod minus sit verisimile? Num talia dici possunt: „cum ratione ficta esse?" Nemo, opinor, contendet. Accedit quod nulla causa exstat, quae Platonem coegerit non simplicius rem nobis narrare.

Et huius generis exempla minime sunt rara. Idem fere in Convivio fieri videmus.

Apollodorus amicis suis narrat Glauconem ante tres dies a se quaesivisse num interfuerit in notissimo illo convivio, in quo Socrates et alii verba fecissent de amore. Respondet Apollodorus id convivium *ante multos annos* habitum esse, ita ut ipse interesse non potuerit, erat nempe tunc temporis puer. Quae in illo convivio dicta essent ab amico quodam audierat, et sic Glauconi Apollodorus rem narraverat, quam nunc iterum aliis amicis renarrat ipse. Etsi addit se a Socrate nonnumquam quaedam de eo convivio audivisse, res tamen non multo probabilior est quam in Parmenide. Si quis narrat satis longam disputationem, habitam in convivio quodam ante multos annos, idque in convivio in quo ipse non interfuit, talia vix „cum ratione ficta" dici possunt.

In Republica narrat Socrates se heri postquam cum Glaucone ludos spectasset a Polemarcho domum esse invitatum; deinde quem dialogum ipse et Polemarchus et alii ibi habuerint, exponit. Ille sermo nihil aliud est quam totus liber de Republica Atheniensium, qui in editionibus permultas paginas occupat. Vix credibile est uno die tantum sermonem habitum esse; prorsus absurdum est Socratem totum hunc sermonem postridie aliis narrasse, quod tamen facere videtur.

Etiam hic nihil impediebat quominus Plato eam formam eligeret, qua in multis dialogis est usus, nempe ut in libro non narretur, sed habeatur sermo. Veritatis speciei videlicet nullam rationem habuit, nimirum quia ei persuasum erat neminem hanc speciem postulaturum esse.

Ciceronis quoque aliquot dialogos inspiciamus. Diversissimis rationibus in suorum dialogorum oeconomia utitur; apud eum quoque maximam in hac re observamus licentiam.

In Tusculanis disputationibus „agitur res, non narratur", ut ipsius Ciceronis verbi utar. Retinet tamen speciem revera habiti dialogi, dicit enim se, cum nuper cum amicis in Tusculano esset [1]), ponere iussisse de quo quis audire vellet: ad id aut sedentem aut ambulantem se disputasse. „Sed quo commodius" ait „disputationes nostrae explicentur, sic eas exponam, quasi agatur res, non quasi narretur".

In libro de Senectute longe aliter res se habet: hic nulla est simulatio. Apertis enim verbis Cicero dicit se omnem sermonem „*tribuere*" non Tithono, ut Aristonem Chium, ne parum esset auctoritatis in fabula, sed M. Catoni seni. Apud eum se „*facere*" Laelium et Scipionem admirantes quod is tam facile senectutem ferat, e. q. s.

Habemus ergo in Tusculanis fictionem „cum ratione"; in Senectute nihil fingitur, tertii generis, ubi „sine ratione fingitur", liber de Oratore optimum est exemplum, praesertim quia quodammodo hunc librum in nostro Dialogo Tacitus imitatus est.

„Ac mihi" Cicero ait [2]) „repetenda est veteris cuiusdam memoriae non satis explicata recordatio, sed, ut arbitror, apta ad id, quod requiris, ut cognoscas, quae viri omnium eloquentissimi clarissimique senserint de omni ratione dicendi".

Ex capitis septimi initio apparet dialogum habitum fingi anno 91; ipse Cicero in eo non interfuit, sed postea sermo ei est narratus. Liber scriptus est anno 55, XXXVI ergo intercedunt anni. Et haec „sine ratione ficta" sunt.

---

1) C. IV.
2) C. 1.

Aiunt quidem dissimillimam esse librorum de Oratore et Tacitei Dialogi rationem, Ciceronem enim uti verbis „non satis explicata recordatio", Tacitum, contra, dicere „isdem numeris, isdem rationibus, servato ordine disputationis" se rem referre, Ciceronem ergo speciem veritatis retinere, Tacitum negligere (certe si post Domitianum Dialogum scriptum esse credendum est). Sed Taciti verba non sic sunt intelligenda, quasi dicat se iisdem *verbis* referre quae audiverat, videturque mihi Johnius rem nimis magnam inde petisse ubi dicit „(dass) der Verfasser dabei eine ins *Einzelne gehende* Treue beansprucht".

Praeterea Tacitus fingit se referre disputationem in qua *ipse* interfuit, Cicero in quo *non* interfuit; temporis intervallum apud Ciceronem est XXXVI annorum, apud Tacitum (ut mihi videtur) XX; estque insuper Taciti dialogus satis brevis, Ciceronis longissima.

Si tribus his discrepantiis una illa compensatur, Cicero non magis quam Tacitus veritatis speciei consuluisse videtur.

Auctores, qui post Tacitum scripserunt, similia exempla praebent; videamus e. g. Athenaei et Macrobii dialogos, „*Αὐτὸς ὦ 'Αθήναιε*" Timocrates rogat „*μετειληφὼς τῆς καλῆς ἐκείνης συνουσίας.. ἢ παρ' ἄλλου μαθὼν τοῖς ἑταίροις διεξήεις*"; Postquam Athenaeus respondit ipsum se interfuisse, Timocrates dicit: „*'Αρ' οὖν ἐθελήσεις καὶ ἡμῖν τῶν καλῶν ἐπικυλικείων λόγων μεταδοῦναι . . .*";

Sequuntur nunc non minus quam XV libri, agitur in iis „de omni re scibili et quibusdam aliis", de rebus quae non nisi levissimo vinculo inter se cohaereant, refertum est totum opus versibus aliisque locis, ex infinito fere auctorum numero allatis: ita ut prorsus incredibile sit

quemquam vel unum diem haec omnia memoria tenuisse.

Apud Macrobium prorsus idem observamus.

De huiusce generis hominibus Cicero cogitasse videtur cum diceret: „habet (homo) memoriam, et eam infinitam rerum innumerabilium!" [1]).

Ad aliam rem transeo. Plerique viri docti Dialogum opus magni pretii ducunt: sic Orellius [2]) profitetur se arbitrari: non ab alio quam a Tacito profectum esse hunc egregium libellum. „Omnes" ait „et sententiae et sensus digni sunt et tali viro et tali scriptore" e. q. s. Bernhardius [3]) „eine in Gedanken, Vortrag, und Gesinnung gleich vortreffliche Parallele der republikanischen und monarchischen Beredsamkeit,... ein ehrenhaftes Denkmal der Regierung Vespasians" Schiller [4]) „Unbedingt die vollendetste Schrift des Tacitus ist der Dialogus..."

Non defuerunt tamen qui aliter censerent, inter quos maxime innotuit Gutmannus [5]) „Aureolus iste Dialogus" ait, „non ex auro puro compositus, sed vilioribus metallis mixtus. Non Ciceronis, non Livii elocutionem ubique audimus, non Sallustii, neque ipsius Taciti. Quamvis multi loci sine dubio egregii sunt, tamen quaedam minus bene dicta satis arguunt, eius auctorem non iniuria conquestum esse de corrupta eloquentia".

Exemplis afferendis deinde suam sententiam confirmat,

---

1) Tusc. I. 24.
2) pag. LXI.
3) Grundriss der Röm. Litteratur 310.
4) Geschichte der Röm. Kaiserzeit I. 588.
5) In ed. Orelliana pag. 101 sqq.

et hac imprimis re usus est ad demonstrandum Tacitum Dialogi auctorem non esse.

Alii non negaverunt haec vitia, quae Gutmannus sibi observasse visus erat, in Dialogo inesse, alio tamen modo Gutmanni invento usi sunt, dicebant enim illa vitia indicio esse non nisi a Tacito iuvene Dialogum scribi potuisse, invito Gutmanno, qui haec habet: „scriptor admodum iuvenis erat dum colloquio interfuit, non vero, dum composuit. Nam Justus Fabius non iuvenem iussisset tam magnae quaestionis pondus excipere, ut edoceret causas, cur sua aetas in tantum ab eloquentia veterum recesserit". [1])

Si haec vitia consideramus, statim videmus magnam partem pertinere ad „Latinitatem in deterius lapsantem". Quivis intelligit eum qui sit iuvenis, ita ut in scribendo nondum satis se exercuerit, vitia committere prorsus diversa ab iis, quae committuntur a viro qui tum scribit, cum antiqua Latinitas in oblivionem abire iam coepit.

Operae pretium est haec „vitia" percensere, ut videamus quid de iis sit iudicandum.

Inter ea quae Gutmannum offenderunt primum commemorat locum ex capite tertio; vituperat locutionem: „negotium sibi importare", quod vix Latine dictum ei videtur; dicendum enim erat „negotium suscipere" vel „sibi imponere".

Mihi tamen, si totum locum spectamus, locutio „sibi importare" non sine causa a Tacito pro vulgatiore „suscipere" posita esse videtur.

Necesse erit locum exscribere: „Adeo te tragoediae istae non satiant", inquit Aper „quominus, omissis orationum

---

1) pag. 107.

et causarum studiis, omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyestem consumas, cum te tot amicorum causae, tot coloniarum et municipiorum clientelae in forum vocent, quibus vix suffeceris, etiam si non novum tibi ipse *negotium importasses*, ut Domitium et Catonem, id est nostras quoque historias et Romana nomina, Graeculorum fabulis adgregares".

Hunc locum legentes statim sentimus cum quadam indignatione et contemptu Aprum haec dicere. Eo iudice stulte Maternus facit, neque quod magnum deceat virum suscipit; cum contemptu etiam voce „Graeculorum" loco „Graecorum" utitur.

Ea ipsa de causa non dicit „negotium suscipere" vel „sibi imponere", sed verbo minus usitato, „sibi importare"; „negotium suscipere" enim is dicitur qui optimo iure suscipit. In importandi vocabulo notio mihi inesse videtur „stulte et inutiliter suscepti oneris", quod nos dicimus: „zich een nieuwe moeite op den hals halen". Non ergo cum Gutmanno censeo vitium hic deprehendi, aptissime, contra, verba „negotium sibi importare" indicare mihi videntur id ipsum quod Aper voluit.

Ex capite quarto vituperatur locutio „desidiam advocationum". „Desidia" Gutmannus ait „utique cum genitivo activo conjungi potest, ut „desidia hominis", non vero cum genitivo passivo, ut „desidia actionis". — Sit hoc aliquanto rarius dictum, minime tamen video cur locutio sit vituperanda. Desidiam Aper Materno obicit, desidiam quae pertinet ad advocationes, desidiam ergo advocationum. Sitque praeterea verum Ciceronis aetatis auctores huius generis structuris non usos esse, constat tamen Tacitum, et in aliis et in genitivi usu, liberrime saepe

esse versatum. Non raro conjungit genitivum Tacitus cum substantivis, adjectivis, aliis verbis, quae antea vulgo cum ablativo aut alio modo structa inveniebantur [1]). Etiam in aliis Taciti operibus a severo censore multa vituperari possunt, nam et in illis admodum liber sermonis usus deprehenditur.

Vituperatur quod in capite sexto ter vox „voluptas" legitur, id tamen, in loco in quo expressis verbis de *voluptate* eloquentiae agitur, non mirum mihi videtur.

De „tautologiis" iam supra aliquid dicebam [2]). Gutmannus imprimis affert (ex capite septimo): „fama et laus", „negotiosos et rebus intentos", „iuvenes et adolescentes". „Id sane ego", ait „sit venia dicto! ineptum voco".

Primo in codice b pro „iuvenes" legitur „vacuos", quam lectionem Halmius in editionem suam recepit. Quaerendum praeterea est, num „fama" et „laus" prorsus sint idem. Mihi fama esse videtur potius ea gloria, qua quis celebritatem adipiscitur ipsi superstitem futuram; „laudem" quis accipit cum a sui temporis hominibus laudatur; laus magis praesens spectat, fama tempus futurum.

Fortasse tamen nimis subtilia haec sunt; multo maioris momenti esse puto hanc rationem: verum sit nihil nos hic habere nisi justas tautologias; liceatque Gutmanno talia minus approbare, non tamen licet ex hac re concludere (quod Gutmannus *non* fecit) ab homine iuvene Dialogum esse scriptum. Qua de re quia supra iam fusius egi, nunc non diutius in ea subsistam.

Maximi momenti nonnullis visum est, in Dialogo vocem „hercule" decies legi, in omnibus aliis operibus semel,

---

1) Huius rei exempla apud Boetlicherum in lexico Taciteo i. v. genitivus.
2) pag. 6 sqq.

nisi fallor. Ipse Gutmannus profitetur se credere non posse: „quemcunque scriptorem in uno libro vocabulum aliquod saepius adhibiturum esse (praesertim quod nihil ad rem faciat) in ceteris paene numquam". Ego nihil hic video quod credere non possim, si modo rogatur quae huius vocabuli sit indoles; sed de hac re, quae ad genus dicendi pertinet, in tertio capite agam.

Maiorem partem „vitiorum" iam percensui, sunt nonnulla alia a Gutmanno commemorata, de quibus omnibus separatim agere longum est.

Indicabo etiam: cap. 7, „*latus clavus oblatus est*, male sonant quae simile sonant". Si talia conquirere vellemus, omnis liber vituperandus esset. Etiam minoris momenti videntur „homoeoteleuta" quae in eodem capite Gutmannus vituperat „quo homo novus" et in capite 29 „serio ministerio". — „Quis non miretur" Gutmannus rogat „(verbis sexta statione) sextum Vespasiani annum significari?" — Omnes, profecto, hoc magnopere mirantur, sed locus, et quod ad lectionem et quod ad interpretationem pertinet, tam dubius est, ut is saltem ad Gutmanni thesin defendendam nihil prodesse possit.

Post Domitianum Dialogum scriptum esse Johnius [1]) credere nequit, quia sic eodem fere tempore editus esset quo prima historica opera. Inter illa tamen et Dialogum tanta est discrepantia in „Studien, Stimmung und Sprache", ut hoc prorsus incredibile Johnio videatur.

De linguae discrepantia in tertio capite sum acturus, de mutato animi statu infra aliquid dicam, nunc de studiorum diversitate dicendum erit.

---

1) pag. 5.

Primo libenter confiteor me non satis intelligere quid haec ratio sibi velit. Johnius hoc dicere videtur: „unus homo non potest uno tempore studere duabus rebus, quae inter se sunt dissimiles; si ergo unius auctoris duo opera nobis tradita sunt, in quibus diversa studia observantur, necesse est ut sumamus magnum temporis spatium inter haec opera intercedere".

Quid tamen credere nos vetet unum hominem uno tempore duabus, vel etiam pluribus, rebus studere posse, prorsus me fugit. Immo vero absurdum mihi videtur huius rei exempla afferre, cum quotidie ipsa vicinia nostra nobis suppeditet homines, occupatos studiis quae nihil inter se commune habeant. Non tam rarum est eundem hominem simul astronomiae operam dare et rei militari, aut agriculturae et philosophiae, medicinae simul et arti poëticae. Eo minus mirum est eundem hominem simul duabus unius artis partibus, artis scilicet litterarum, studere posse.

Si iuvat unum saltem exemplum in mentem revocare, quidni de Cicerone cogitemus, qui eodem tempore orationes, opera rhetorica, libros ad philosophiam pertinentes, edidit? Et quare Tacitus tale quid facere non potuerit?

Quin etiam non solum nihil vetat *credere* Tacitum eodem tempore pluribus artibus studuisse, sed procerto illud constat. Plinii epistulae scriptae sunt inter annos 97 et 108, eodem ergo temporis spatio quo prima Taciti historica opera prodierunt. Inspiciamus autem aliquot Plinii epistulas et videamus quid ex iis appareat. In lib. I, ep. 21 habemus notissimam epistulam, in qua ponitur quaestio, utrum longa an brevis oratio melior sit. II, 11 Tacitus contra Marium Priscum in senatu orationes ha-

buisse dicitur. IV, 13 a Tacito quaeritur ut circumspiciat praeceptores (scholae in patria Plinii) ex copia studiosorum, quae ad eum ex admiratione ingenii convenit. IX, 23 narrat Plinius homines semper se et Tacitum, quod ad studia pertinet, una nominare.

Ex hisce constare videmus Tacitum, eodem tempore quo historias suas scripsit, et eloquentiae studuisse. Quid ergo mirum, si eodem tempore etiam librum *de* eloquentia scripserit? Immo vero multo probabilius est eum librum de eloquentia scripsisse postquam per longum tempus ei arti studuerat, quam in ipso rhetoricorum suorum studiorum initio. Incipiunt homines aliquam artem *exercere*, et, postquam diu hoc fecerunt, eo progredi possunt, ut etiam *de* arte aliquid scribant.

Etiam Teuffelius [1]) ex Taciti studiis effici posse putat, quo fere tempore Dialogus sit scriptus, hac argumentatione usus: et ex oratione et ex argumento libri apparet eum primum Taciti esse opus, et eo quidem scriptum tempore, quo iam studia sua propaedeutica ad finem perduxerat, fortasse iam satis notus erat orator; tempore tamen, quo iam magis magisque ei persuasum esse coeperat, sui temporis hominibus rhetorica studia et eloquentiam forensem non sufficere ad beatam vitam explendam. Credibile est, Teuffelius ait, eum, tempore quo Dialogum edidit, iam consilium cepisse etiam historicis studiis operam dandi.

Cui Teuffelii argumentationi multa obiicere minime mihi in animo est, potius libenter confiteor me prorsus fere cum ea consentire, sed... quo talis argumentatio

1) St. und Ch., pag. 439.

nos ducit? Quod est illud tempus, quo Tacitus solis rhetoricis studiis non iam erat contentus et ingenium suum ad historiam vertere coeperat?

Et mihi probabile videtur Tacitum Dialogum non scripsisse, antequam sua propaedeutica studia ad finem perduxerat, et mihi constat eum, tempore Dialogi editi, satis notum iam fuisse oratorem.

Sed ad quod demum tempus haec omnia conveniunt? Quo tempore studium eloquentiae Tacito non iam satisfaciebat? Non anno 80, ut opinor, nam scimus eum post hunc annum viginti fere annos in iisdem studiis perseverasse. Et, ut hoc ante omnia rogetur: quodnam est illud tempus quo historiae arti operam dare coepit?

Disertis verbis ipse Tacitus in Agricola id nobis dicit. Agricola liber ei non videtur opus, quod proprie historicum dici possit, vocat eum simpliciter „narrationem vitae defuncti", quamquam hoc librorum genus prope ad historiam accedit. In animo tamen se habere dicit etiam res gestas populi Romani conscribere, sive opera historica. „Non tamen pigebit" ait „vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse; hic *interim* liber etc." Hoc est ergo illud tempus, quo Tacitus iam consilium cepit res gestas conscribendi; ipse disertis verbis suum consilium profitetur; si ergo in Dialogo quoque eiusdem consilii indicium invenitur, nihil magis probabile est, quam utrumque librum eodem fere tempore editum esse. Quibus de causis miror Teuffelium illa argumentatione ad illum eventum pervenisse, ut sub Tito, aut in initio Domitiani regni, librum scriptum esse contendat.

Tacitum, tempore quo Dialogus editus est, iam in animo habuisse res gestas populi Romani conscribere, Teuffelius verisimile ducit, et mihi persuasum est.

Agricola mihi paulo ante Dialogum scriptus videtur. Cum autem in Agricola Tacitus claris verbis indicet se historias scripturum esse, iam ex hac re sequitur, si mea de Dialogi tempore sententia vera est, iam Dialogum scribenti Tacito hoc consilium in animo fuisse; sed et in ipso Dialogo eiusmodi aliquid non obscure indicare mihi visus est.

Res nobis est et cum tota prima parte libri (i. e. c. III—c. XIII), et praesertim cum loco quodam ex capite XIV.

Cohaeret haec quaestio cum toto Dialogi consilio, ergo de illo ante omnia aliquid erit dicendum.

In libri initio auctor promittit se esse acturum „de causis cur, cum priora saecula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque floruerint, nostra potissimum aetas, deserta et laude eloquentiae orbata, vix nomen ipsum oratoris retineat".

Iamdudum viri docti observaverunt non totum librum de hac re agere, sed in tres partes eum dividi posse, quarum sola tertia quaestionem, quae in primo capite ponitur, absolvere conatur.

Secunda pars artissime cum tertia cohaeret; in hac enim antiqui oratores cum novis componuntur. Cum autem de *causis* corruptae eloquentiae aliquis acturus est, necesse est ut antea dirimat quaestionem, utrum revera eloquentia corrupta sit necne.

Secunda pars ergo nullas molestias praebet.

Quod ad primam partem attinet aliter res se habet (de praefatione, quae fere capita I—V complectitur, non opus

est ut aliquid dicatur). Multi dubitaverunt quidnam hisce capitibus auctor voluerit. Quin etiam fuerunt qui et hic auctoris iuventutem observare sibi visi sint.

Alii sic rem explicant: Tacitus in prima parte Dialogi rationes reddit, cur ab eloquentia ad historiae studium se contulerit. Loquitur quidem Maternus de arte poëtica et non de historia, sed notum est Romanis has duas artes cognatissimas inter se visas esse (et hanc antiquorum opinionem non semper historicae fidei profuisse, non minus notum est). Quamquam ergo aliquanto obscurioribus verbis et aliena (i. e. Materni) persona Tacitus utitur, tamen suum ipsius consilium indicat.

Etsi non auserim contendere certum esse Tacitum hoc consilio suam praefationem scripsisse, tamen haec multorum virorum sententia minime spernenda aut absurda mihi videtur.

Clarius etiam quam in praecedentibus hoc consilium percipitur in capite XIV, ubi in fine haec legimus: „itaque hercle non minus probari video in te, Secunde, quod Iuli Africani vitam componendo spem hominibus fecisti plurium eiusmodi librorum, quam (damnari) in Apro, quod nondum ab scholasticis controversiis recessit et otium suum mavult novorum rhetorum more, quam veterum oratorum consumere".

Non iam ergo de arte poëtica, sed de ipsa historia Tacitus loquitur (et hic verbis Materni); dicitque probari in Secundo quod ad opera historica, aut saltem opera quae historiis maxime sunt similia, animum converterit. Non mirum est multos in hisce verbis deprehendere sibi visos esse auctorem, profitentem se in posterum imprimis rebus gestis conscribendis operam esse daturum.

Nolim negare me hac argumentatione valde commoveri. Lege pro „Secundo": „Tacito", pro „Julio Africano": „Julio Agricola" et apertis verbis Tacitus dicit: *se Dialogum post Agricolam et ante alia sua historica opera edidisse.* Sic enim Tacitus dicit: se vidisse in se probari quod Julii Agricolae vitam componendo spem hominibus fecerit plurium eiusmodi librorum.

Sic hic locus artissimo vinculo cohaeret cum loco ex Agricola ubi legimus: „hic interim liber honori Agricolae soceri mei destinatus, professione pietatis aut laudatus erit, aut excusatus".

Sollicitus est ne primum suum in arte historica specimen non prospere sibi succedat, quo tempore Agricolam in lucem mittit; de eventu hic Dialogi locus nos certiores facit.

Praeterea nostro loco iis respondetur hominibus, qui, ut Aper Maternum, Tacitum objurgabant, quod ab eloquentiae studio ad artem historicam se convertere coepisset. Respondet ergo se vidisse homines „Agricolam" suum probasse et sperare fore ut plures huius generis libros scribat. Spem illam non sine causa a se conceptam esse, lectores efficere poterant ex ultimis capitis tertii verbis: „non tamen pigebit... composuisse; hic interim liber..."

Supra [1]) iam commemoravi Johnium, res ex quibus appareret inter Dialogum et cetera Taciti opera multum temporis intercedere enumerantem, una cum studiorum discrepantia proponere: longe diversum animi statum, qui observatur in nostro libro, ab eo qui in ceteris. In Taciti

---

1) pag. 52.

enim historicis operibus, non solum in posterioribus sed vel maxime in Agricola, nos tangit quaedam indignatio, dolor, ira in temporis sui vitia, et praesertim (in Agricola saltem) in Domitiani crudelitatem et licentiam. Quae quia in Dialogo desiderantur, hunc librum post Domitiani regnum scriptum esse Johnius et multi alii negant. Nemo, quod quidem ego sciam, acrius de hac re verba fecit quam Vogelius [1]), qui, inter alia, et haec habet: „inde quovis pignore contendo, si ille anno 96 vel 97, vix recreatus a summa de reipublicae calamitatibus aegritudine, scribere de corruptae eloquentiae causis constituisset, non aliter eum rem tractaturum fuisse atque fecit in Agricola, id est ita, ut laetiora quoque enarranti etiam atque etiam tristitia obreperet, quo diutius esset suppressa, eo fortius eruptura".

Ornate, sane, et cum quadam indignatione, quae ipsum Tacitum non dedeceret, haec sunt dicta; credo tamen multa hisce objici posse.

Primo videmus ne in Dialogo quidem omnia tam laeta et hilaria esse, videmus et hunc librum testari auctorem, qui, quamquam praesenti rerum statu satis est contentus, (scribit enim sub bono imperatore), tamen, et quod ad sui temporis mores attinet, multa habet quae vituperet, et iam fervet odio illo in tyrannos, quod et in aliis Taciti operibus invenitur.

Locos in quibus imprimis odium in tyrannos prodit iam supra [2]), alias ob causas, enumeravi; saeculi vitia praecipue Messalla in longa sua oratione arguit. Vide e. g. locum de infantium educatione [3]), de rhetorum scholis [4]),

---

1) De Dialogi qui Taciti nomine fertur sermone iudicium. pag. 276.
2) pag. 41. 3) C. 29.
4) C. 35.

„ludis" istis „impudentiae", et praeterea totam Messallae orationem, cum qua, in universum, Tacitum consensisse conjicere licet.

Minime haec Vogelium fugerunt, parva tamen vestigia haec ei videntur, si conferuntur cum iis, quae in Agricola leguntur. Non tamen negligendum est haecce liberi ingenii documenta fere omnibus viris doctis tanti momenti visa esse, ut, juxta illum ex Agricola locum de XV annorum silentio, haec imprimis causa fuerit, cur sub Domitiano Dialogum conscribi potuisse, negarent.

Sed quamquam et in Dialogo non ita pauca leguntur, quae tristiorem animum testantur, tamen Vogelio concedendum est in Agricola omnia multo multoque acerbiora esse. Nihil, credo, in omnibus Taciti operibus invenitur, quod componi possit cum acerbitate quae erumpit in Agricolae praefatione, et praesertim in capite secundo. Acerbissimam, simulque sublimem, indignationem in eo capite admiramur, in nullo fere antiquitatis monumento aliquid invenitur, quod hisce sit simile: „dedimus profecto grande patientiae documentum, et sicut vetus aetas vidit quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute..." et „memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere".

Observandum tamen est auctorem, quod ad praesentem rerum statum pertinet, in Dialogo idem fere iudicium proferre quod in Agricola. Initium enim tertii huius libri capitis, ubi legitur Nervam Caesarem res olim dissociabiles, principatum ac libertatem, miscuisse, Nervamque Traianum quotidie felicitatem temporum augere, prorsus cum Dialogi loco de „sapientissimo et uno" qui de republica deliberat, convenit.

Et si de tempore praeterito multo acerbior in Agricola quam in Dialogo est oratio, non desunt causae, quae hanc discrepantiam nobis explicare possint; ita ut non opus sit, ut ob hanc rem sumamus Dialogum *ante* Domitiani tempora esse scriptum, sed Agricolam *post* illa.

Ego mihi rem sic explico: per quindecim Domitiani regni annos adeo libertas fuerat oppressa, ut „loquendi atque audiendi commercium" prorsus esset abolitum. Tandem aliquando libertas loquendi redit, tandem Tacito licet omnem suum dolorem, quem per XV annos cumulaverat, evomere. Erumpunt in primo libro, quem post triste illud tempus in lucem mittit, ira et dolor, ardet animus libere pronuntiare, quae tam diu tacere coactus fuerit.

Sed talia semel modo dicuntur. Levavit in Agricola animum Tacitus onere, quo per tantum temporis fuerat oppressus, et quamquam quaedam acerbitas in omnibus Taciti operibus manet, nusquam iterum invenimus vehementem illam indignationem, quam in Agricola cum quodam horrore audiveramus.

Conferamus e. g. Historiarum praefationem, praesertim quia et ibi de inviso Domitiano mentio fit: „dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam, non abnuerim, sed incorruptam fidem professis neque amore quisquam et sine odio dicendus est" (et etiam ex Annalium praefatione: „sine ira et studio, quorum causas procul habeo").

Toto coelo haec, satis placide dicta, distant ab commotissima Agricolae praefatione; et tamen non ita multi anni intercedunt.

Non mirum ergo iam in Dialogo, si inter Agricolam et Historias scriptus est, multo mitiora omnia esse quam in libro quem primum post Domitiani regnum edidit.

Etiam aliud quiddam accedit, non minoris, certe, momenti: ipsum Dialogi argumentum vehementes illas iras excludit. Interrogatur Tacitus de quaestione quadam, inter viros doctos agitata, promittit se sententiam suam prolaturum; primo breviter praefatur, et deinde homines verba facere finguntur *ante* Domitiani tempora. Ergo de huius imperatoris regno, de malis quae sub eius imprimis regno valuerunt, sermo fieri nequit. Acerbae irae, quae Agricolam egregie decet, in Dialogo et locus et causa desunt.

Si tamen quis dicit Tacitum, prioribus post Domitiani regni annis, tanto, tamque recenti, in tyrannos odio imbutum fuisse, ut ei „laetiora quoque enarranti etiam atque etiam tristitia obreperet, quo diutius esset suppressa, eo fortius eruptura" (sunt haec Vogelii verba), quaerendum est qui fieri potuerit, ut illo tempore Germaniam conscriberet; qua de re non tamen dubitatur.

Status enim animi auctoris, cum Germaniam scriberet, longe distare videtur ab illo, quo Agricolam, fere convenire cum illo, quo Dialogum scripsit. Et in Dialogo et in Germania cognoscimus auctorem sui temporis moribus minime contentum, in utroque libro saeculi vitia satis acerbe vituperantur (etsi in Germania plerumque non tam aperte); sed in neutro auctor effervescit; cum quadam temperata severitate omnia proponuntur.

In Dialogo vetus eloquentia cum nova componitur, et ita id fit, ut clare nobis appareat auctori veterem eloquentiam longe novae praestare videri; hic illic cum eodem eventu veteres et novi mores inter se opponuntur, neque

abest quaedam acerbitas, ut iam supra commemoravi.

In Germania simile quiddam videmus. Quamvis liber primo aspectu nihil aliud esse videatur quam descriptio Germaniae, morumque qui in ea regione coluntur, tamen et hic non deëst comparatio.

Rarissime, aut nusquam, disertis verbis Tacitus Romanorum moribus Germanorum opponit mores, nihilominus facile intelligitur auctorem, incorruptam Germanorum vitam depingentem, semper suae corruptissimae urbis vitia ante oculos habuisse. Nusquam magis manifestum huius rei documentum se nobis offert, quam in duobus ex capite XIX locis notissimis: „nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur" et „numerum liberorum finire aut quemquam ex adgnatis necare flagitium habetur, plusque ibi boni mores valent quam alibi bonae leges".

Nihil ergo vetat sumere Germaniam et Dialogum uno fere tempore scripta esse, i. e. prioribus post Domitiani mortem annis; et si creditur Tacitum illo tempore non scribere potuisse librum tam temperatum quam est Dialogus, etiam Germaniae librum alio tempore editum esse putandum esset; quod nemini contendere in mentem veniet.

Multum etiam huic rationi tribuitur: non credibile esse Tacitum cum iam ad maturiorem aetatem pervenisset et iam „gloria famaque floreret" librum scribere voluisse, in quo tantopere Ciceronem imitaretur.

Et de hac re nemo, credo, acrioribus usus est verbis quam Vogelius, qui profitetur se numquam eo adduci posse ut credat Tacitum, tempore quo iam consul et praetor fuerat, eiusque eloquentia iam ubique erat nota,

„tam anxie, ne dicam serviliter, Ciceronis vestigia pressurum fuisse, quam pressit Dialogi scriptor". — Demonstrare conabor haecce iusto acrius dicta esse, praesertim non licere in hac re uti verbis „anxie" vel „serviliter"; sed prius videamus quomodo Johnius de eadem quaestione agat. Ipsa Johnii verba citabo, quia eius rationi inesse mihi videtur circulus quidam vitiosus (qui dicitur).

Haec sunt Johnii verba [1]: „Es ist nicht anzunehmen, dass ein Schriftsteller von der Bedeutung des Verfassers, nachdem er seinen Ruf schon fest begründet hatte, in solchem Umfang als blosser Nachahmer hätte auftreten wollen".

In animo habebam contra haecce sic fere ratiocinari: „dicis non credibile esse virum qui tanta iam laude inclaruerat, quanta Tacitus eo tempore, quo mihi Dialogus scriptus videtur, librum scripsisse in quo tantummodo imitatorem se praeberet („blosser Nachahmer"); dicisque eam imitationem permagnam esse („in solchem Umfang"). Num tamen illa imitatio revera tam late patet? Nonne potius statuendum est illam imitationem externa tantum spectare; auctoremque, et quod ad orationem et quod ad argumentum pertinet, tam libere esse versatum, ut minime „servilis imitator" sit dicendus?

Quam tamen viam Johnius iam ante nobis interclusit; paulo enim ante haec habet: „Wenn gleichwohl thatsächlich der Inhalt der Schrift selbständiger ist als die Form, die sich an die Sprache und Szenerie ciceronischer Dialoge anlehnt, so wird man auch hierin ein Merkmal der Anfängerschaft erkennen dürfen".

---

1) pag. 6.

Primo miror hoc loco Johnium dicere: „dass die Form sich an die Sprache und Szenerie der ciceronischen dial. *anlehnt*" cum in loco qui statim sequitur, utitur verbis „in *solchem Umfang*; als *blosser* Nachahmer". Hoc enim prorsus aliud significare mihi videtur atque illud. Hoc tamen urgere nolim, sed in clara luce positum velim magnum vitium quod toti huic rationi inhaerere mihi videatur.

Johnius dicit: „Tacitus in Dialogo merus Ciceronis est imitator. Non nisi iuvenis ergo talem librum scribere potuit".

Contra dicitur: „Imitatio de qua loqueris non tanti momenti est. Formam solam spectat, alioquin satis libere suo ipsius ingenio auctor utitur. Non ergo necesse est ut iuvenis librum scripserit".

Johnius: „Nunc te teneo: ex ipsa enim licentia qua Tacitus in imitando utitur luce clarius apparet iuvenem eum scripsisse. Quia iuvenis erat, nondum satis sciebat quid esset iusta imitatio. Si maturiore aetate scripsisset melius imitatus esset.

Et sic adversariis nihil nisi tacere restat.

Eligo ex duabus Johnii sententiis illam, quam primo citavi, quae fere cum Vogelii consentit, ergo: Tacitus circa annum 100 vir erat eius auctoritatis ut non credibile sit eum tunc temporis tam anxie Ciceronis vestigia pressisse.

Duo habeo quae hisce opponam. Primo quaerendum est reverane „anxie" et „serviliter" Ciceronem imitatus esse Tacitus dici possit. Iam supra indicavi mihi non videri. Cum dicitur Tacitus in Dialogo Ciceronis dialogos secutus esse, ante omnia cogitandum est de libro qui „de Oratore" inscribitur.

Sine dubio in illius libri oeconomia multa insunt quae nostro Dialogo sunt similia.

In utroque libro auctor simulat se referre sermonem ante multos annos inter viros nobilissimos habitum.

Et apud Tacitum et apud Ciceronem in medium sermonem interveniunt, apud hunc duo novi interlocutores, apud illum unus. Maxime inter se sunt similia quae Catulus et quae Messalla introeuntes dicunt. Vide imprimis Catuli [1]) „me frater exoravit.. mehercule verentem ne molesti vobis interveniremus, ut huc secum venirem" et Messallae [2]) „num parum tempestivus interveni secretum consilium aut causae alicuius meditationem tractantibus?"

Digna, quae inter se conferantur, etiam sunt, quae dicuntur postquam Crassus et quae, postquam Messalla orationem habuit.

Cicero [3]) haec habet: „haec quum Crassus dixisset, silentium est consecutum. Sed, quamquam satis iis, qui aderant, ad id, quod erat propositum, dictum videbatur, tamen sentiebant celerius esse multo, quam ipsi vellent, ab eo peroratum".

Post finitam priorem Messallae orationem Maternus dicit: „mihi quidem susceptum a te munus adeo peregisse nondum videris, ut inchoasse tantum et velut vestigia ac lineamenta quaedam ostendisse videaris".

Quodammodo quidem haec discrepant, fere eodem tamen modo Crassus et Messalla ipsi suis orationibus imponere finem cupiunt, sed a ceteris coguntur quaedam antea dictis addere.

---

1) II, 3.
2) C. 14.
3) I. 35.

Plura huius generis fortasse afferri possunt, sed iam ex hisce satis lucide apparet Tacitum, Dialogum suum scribentem, Ciceronis „de Oratore" libros ante oculos habuisse. Estne tamen propter haec Taciti Dialogus nihil nisi servilis Ciceronis imitatio?

Immo vero Tacitei libri color quam maxime diversus est a Tulliani. Ipsa quoque quaestio, quae apud Tacitum ponitur, longe alia est atque ea, quae apud illum tractatur. Apud hunc viri aliquot de arte rhetorica optime meriti, de eloquentia disserunt et inter se docent, et, quamquam non de omnibus rebus eodem modo censent, tamen de summa rerum semper fere consentiunt; omniaque humanitatis et benevolentiae sunt plena.

Apud Tacitum longe aliter res se habet, inter se opponuntur duo viri qui nihil commune habent, Aper et Messalla, qui, licet et hic quodammodo urbanitatis ratio habeatur, bellum tamen gerunt internecivum.

Magno ardore in antiquos oratores Aper invehitur, novos laudat. Non dubitat profiteri Calvum sibi visum esse exsanguem et aridum, Brutum otiosum atque diiunctum, ipsum Ciceronem solutum, enervem, fractum, elumbem (id enim arguitur Apri verbis „si me interrogas, omnes mihi videntur verum dixisse" [1]).

Non minus acerbe novos oratores Messalla vituperat: „neque enim" exclamat „oratorius iste, immo hercule ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita utuntur, ut lascivia verborum et levitate sententiarum et licentia compositionis, histrionales modos exprimant. Quodque vix auditu fas esse debeat, laudis

---

1) C. 18.

et gloriae et ingenii loco plerique iactant cantari saltarique commentarios suos, unde oritur illa foeda et praepostera, sed tamen frequens quibusdam exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur".

Ante oculos habemus Messallam, vivida indignatione haec proferentem, fingimus nobis Aprum vix se continentem quin Messallam interpellet. Quanta vi, quanto spiritu, haec omnia sunt dicta! Frustra in Ciceronis placido dialogo talia quaeramus.

Etiam acerbius aliquanto infra in Aprum Messalla invehitur: „nunc detrectasse nominatim antiquos oratores contentus, neminem sequentium laudare ausus est, nisi in publicum et in commune, veritus, credo, ne multos offenderet, si paucos excerpsisset e. q. s." Non miramur hic Materno necessarium visum esse, pacis gratia, Messallam retinere; eumque admonere ut potius promissum suum exsolvat („ah parce" inquit Maternus, e. q. s.).

Longe longeque haec omnia discrepant ab iis, quae apud Ciceronem leguntur, neque quidquam aliud statuere nobis licet quam Tacitum in quibusdam rebus, quae ad solam formam pertinent, Ciceronem esse secutum; anxiae tamen et servilis imitationis equidem nihil hic video. Et argumentum et tota indoles libri apud hunc prorsus sunt alia atque apud illum. (Vide etiam Jansenium [1]): „tamen haec imitatio fidelis non erat servilis, neque oppressit scriptoris propriam indolem" e. q. s.).

Si quis nihilominus putat vel hanc, quae formam tantum spectet, similitudinem, satis esse ad probandum Tacitum

1) pag. 64.

non maturiore aetate Dialogum scripsisse; respondere velim iis, quae secundo loco contra Vogelii aliorumque sententiam afferre in animo habebam.

Nonne constat antiquos auctores, et vel maxime Latinos, de imitatione longe aliter sensisse atque hodiernos? Saepissime exempla sequebantur; multum tamen aberat ut hanc rem lectores suos latere putarent. Immo vero ne volebant quidem.

Ii scriptores qui aetate, quae nunc „aurea" vulgo dicitur, et qui antea vixerunt, ut imprimis exempla Graeca imitarentur, res ipsa ferebat. Quae imitationes saepe eo progrediebantur, ut ad versiones proxime accederent. Nonne Catullus nonnulla carmina Graeca, plus minusve mutata, Latine reddidit; nonne et apud Vergilium multa leguntur, quae ad litteram ex Homero versa sunt? Non Terentius, non Plautus dissimulat se Graecis exemplis usum esse; expressis verbis Horatius gloriatur se novum in arte poetica genus, non excogitasse, sed primum Latine excoluisse, i. e. imitatum esse. Multi oratores nulli rei magis operam dabant quam ut suae orationes quantum fieri poterat Lysiaeis essent similes.

Nemini in mentem veniebat id cuiquam vitio vertere, aut putare solos iuvenes decere.

Tempore quo Tacitus vivebat non prorsus eodem modo se res habebat. Et multis aliis et Tacito videbantur sui temporis oratores multum ab antiqua eloquentia degenerasse. Non ergo opus erat Graeca exempla circumspicere, sed potius antiqua Romana eloquentia reducenda erat. Non meliora exempla sibi fingere poterant quam Ciceronis opera; quid mirum igitur Tacitum, in libro qui docet Ciceronis, eiusque temporis oratorum, eloquentiam recen-

tium oratorum operibus multo esse superiorem, quodammodo Ciceronem exemplum secutum esse? Nonne Quintilianus in simili re, idem fecit? et tamen ille non iuvenis erat cum institutiones suas ederet.

Si tamen in historicis operibus liberius Tacitus suo ipsius ingenio est usus quam in Dialogo, minime haec res probat multo ante illa hunc librum scriptum esse. Nusquam Tacitus indicat sibi videri suo tempore etiam artem historiam scribendi corruptam esse, nulla ergo ei erat causa, cur et in hisce operibus aliquem ex antiquis rerum gestarum scriptoribus tamquam exemplum sibi proponeret. — Verumtamen: multi viri docti docent et in historiis Tacitum saepe antiquo exemplo, Sallustio, usum esse.

Paucis sic meam sententiam comprehendo: nusquam Tacitus serviliter quoddam exemplum imitatus est; eaque imitatio quam revera observamus, non tanta est ut ex ea de auctoris aetate aliquid confici possit.

Postquam per longam annorum seriem de veteribus illis argumentationibus, de quibus supra egi, a multis in hanc vel in illam partem disputatum erat, Gudemannus, anno 1894, in magna sua Dialogi editione, novam rationem protulit, ex qua appareret ante Domitiani tempora librum scriptum esse. Quia nova est ratio, magnique momenti ei videtur, fusius de ea quam de ceteris Gudemannus agit.

Doctissime, simulque iucundissime, ingenue confiteor, vir doctissimus rem nobis, enarrat [1]. „In re litteraria", sic fere loquitur, „saepissime videmus subito in lucem prodire

1) pag. XXXII—XXXIV.

varias quaestiones, quae unde provenerint, nemo procerto dicere potest. Unus vel duo auctores de quadam re verba facere incipiunt, et post breve temporis spatium omnes viri docti de ea re scribunt, sententiam suam proferunt, quin etiam irascuntur, ad hanc aut illam partem se applicant. Magno ardore atque impetu pugnatur: victoria vulgo a neutra parte reportatur. Paulatim arma cessant, fiunt indutiae, denique pax redit, in qua omnia manent „statu quo" ante bellum fuerunt. Si quis postea eandem quaestionem movere vellet, surdis fabulam narraret".

Disertis idoneisque exemplis, quae ex antiqua et ex nova historia petit, omnibus quaestionibus suum esse concessum tempus demonstrat. Ex magno numero haec eligo: Platonis tempore contentionem fuisse de quaestione, utrum νόμῳ an φύσει nomina essent rebus indita; Ciceronis tempore certamen de Attico aut Asiatico dicendi genere praesertim animos occupasse.

Quomodo haecce cum quaestione, de qua nunc agimus, Gudemanno cohaerere videantur, vix iam opus est ut dicam. Haec quoque quaestio (the controversy concerning the decline of eloquence) per certum quoddam temporis spatium inter homines est agitata, incipitque id spatium fere a quarto decennio primi post Christum natum saeculi, finem habet circa eiusdem saeculi septimum decennium. Designat Gudemannus Petronii, Senecarum, anonymi περὶ ὕψους opera.

Post Domitiani tempora tota haec res mortua erat, quod praesertim demonstratur Quintiliani Institutione Oratoria. De cuius libri indole sic fere Gudemannus ratiocinatur: verum est Quintilianum aequales suos hortari, ut redeant ad id genus eloquentiae, cuius Cicero praestan-

tissimum, vel potius unicum, exemplum fuit. Ante omnia confringere ei in animo est auctoritatem quam Senecae oratio, vivida quidem, sed nimis artificiosa et fracta, cum magno detrimento verae eloquentiae per multos annos exercuit. Tempore tamen quo Quintilianus scribebat, novum et felicius eloquentiae saeculum viam sibi aperire coeperat. Sperat Quintilianus, vel potius persuasum ei est, novam eloquentiam, quae tamen antiquae in multis rebus similis sit futura, iam nasci. Nisi sic ei visum esset, numquam librum suum de re oratoria conscripsisset.

Addit v. d.: si quaestio de corrupta eloquentia in fine primi saeculi etiam agitata esset, procerto etiam in Martialis epigrammatis et in Plinii epistulis huius rei indicia invenirentur. Sed „of oratorical decadence or corruption — not a word". Idem probant Taciti opera historica, multi enim in iis oratores cum magna laude commemorantur.

Idem fere quod in hac praefationis parte dicitur, repetitur in annotatione ad caput 15, 2 ubi de nostra quaestione haec habemus „(it) seems to have reached its culmination in the reign of Nero, and had practically become a dead issue when Q. wrote his Institution. See e. g. X, 1, 122".

Quamquam, ut iam supra dixi, docte et lepide haec omnia mihi disputata videntur, multum tamen, me iudice, abest ut haec nova Gudemanni ratione res confici possit.

Ante omnia hoc dictum velim: sit verum multas quaestiones suum tempus habuisse, et post vel ante illud hominum animos movere non potuisse, num tamen inter illas etiam numeranda est quaestio utrum antiqui an novi oratores (aut poëtae, aut ceterorum generum auctores) superiores sint?

Mihi haec quaestio videtur semper homines movisse, semperque motura esse. Si exempla volumus, primo ad

ipsum nostrum Dialogum relego ubi Aper dicit [1]. „Ad Ciceronem venio, *cui eadem pugna cum aequalibus suis fuit*, quae mihi vobiscum est. Illi enim antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat". Etiam recentissimum exemplum proferri potest: nonne hoc ipso tempore, in nostra saltem patria, novae et antiquae orationis sectatores vehementem pugnam inter se conseruerunt?

Deinde videndum est quid Quintiliani locus, quem citat Gudemanus, nos doceat; est lib. X, c. 1 § 122: „habent qui post nos de oratoribus scribent magnam eos, qui nunc vigent, materiam vere laudandi. Sunt enim summa hodie, quibus illustratur forum, ingenia. Namque et consummati iam patroni veteribus aemulantur et eos iuvenum ad optima tendentium imitatur ac sequitur industria".

Quid autem ex hoc loco apparet? Verum est eum dicere suo quoque tempore esse quosdam bonos oratores. Sed quam ob causam illos laudat? quia veteres aemulantur. Bonam spem habet de eloquentia, quia etiam veteres patroni id faciunt, sequiturque eos iuvenum industria. Ipsa ergo sui temporis eloquentia perversa ei videtur, alioquin non solum eos laudavisset, qui antiqua exempla sequuntur.

Neque dicit Quintilianus „hodiernos oratores bonos esse" sed „et hodie esse bonos oratores" quod longe aliud quiddam est. Sic enim loquitur qui, in universum, sui temporis eloquentiam improbet, confiteatur tamen et nunc quosdam, vel etiam multos, esse bonos oratores.

Quomodo Quintilianus de nova eloquentia cogitaverit, etiam clarius elucet ex loco in libro secundo [2]:

---

1) C. 22. 2) C. 5.

Postquam dixit Quintilianus cavendum esse pueris, ne eos qui nimis antiqui sunt, ut Catonem et Gracchum, sequantur, non minus cavendum esse addit „ne recentis huius lasciviae flosculis capti, voluptate quadam prava deleniantur ut praedulce illud genus, et puerilibus ingeniis hoc gratius, quo propius est, adament".

Non ergo mortua iam est quaestio de nova vel antiqua eloquentia: nam Quintilianus a *recenti* eloquentia avocat iuvenes, antiqua ergo ei superior videtur; et *nova* eloquentia nisi amatores haberet, exstare non potuisset.

Concedit in sequentibus Quintilianus et in novis multas virtutes esse, „nec enim nos tarditatis natura damnavit: sed dicendi mutavimus genus, et ultra nobis, quam oportebat, indulsimus; ita non tam ingenio illi nos superarunt, quam proposito". Iterum hic videmus auctorem censere antiquam eloquentiam novae praestitisse; redditque causas, cur praesertim nova eloquentia degeneraverit. Agitur ergo de eadem quaestione quae in Tacitei Dialogi initio a Justo Fabio ponitur.

Sequitur apud Quintilianum hoc [1] „quosdam vero etiam, quos totos imitari oporteat, et fuisse nuper, et nunc esse, quidni libenter, non concesserim modo, verum etiam contenderim? Sed hi qui sint non cuiusque est pronuntiare". Duas res haec verba nos docent; primo: nemo sic loquitur nisi qui putet, in universum, novos oratores non esse imitandos, non tamen tam durus esse velit, ut contendat nullos bonos oratores suum tempus tulisse. Deinde ex vocabulo „concesserim" apparet etiam tunc temporis

---

1) Citat hunc locum, et locum ex Plinii epistolis, de quo infra, Leo, Gött. Gel. Anz. 1898 Bd. I, pag. 173.

nostram quaestionem agitatam esse; cui enim aliquid „concedere" possumus nisi adversario?

Vide praeterea Turnebi ad hunc locum annotationem, qui putat haecce spectare Plinium maiorem et ipsum Cornelium Tacitum.

Prorsus eodem modo Plinium de hac quaestione cogitasse, videre licet ex quadam epistula eius [1]: „sum ex iis", inquit, „qui mirantur antiquos, non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio". Et Plinius ergo antiquos amat, novos non prorsus tamen contemnit.

Praeterea, ut ex Quintiliani loco, etiam ex hocce apparere videtur, ipsam de corrupta eloquentia quaestionem illis temporibus adhuc vixisse. Non enim dicit „miror antiquos", sed, „sum ex iis qui mirantur antiquos" quibus verbis indicare videtur certam factionem fuisse eorum qui antiquos mirabantur; quorum numero Plinius se adscribit.

Ipsius denique Taciti sententia non multum ab Quintiliani et Plinii abhorruisse videtur; et ille „ex iis erat qui mirantur antiquos; non tamen suorum temporum ingenia despicit". Sine dubio auctor cum Apro consentit Messallae dicenti: „non desinis vetera tantum mirari... oblitus *et tuae et fratris tui eloquentiae*". Illa, certe, ingenia erant, quae, quamquam sui temporis erant, Tacitus non despiciebat. Nonne et de Julio Secundo, quin etiam de ipso Apro satis honorifice Tacitus loquitur? (c. 2 Aper omni eruditione imbutus, contemnebat potius litteras quam nesciebat). Optime aliquis simul putare potest, in universum, eloquentiam corruptam esse, neque tamen negare et suum tempus non omnino praeclaris

1) VI, 21, 1.

ingeniis carere, et ex nulla re apparet, tempore quo Quintilianus Institutionem suam edidit, viros doctos de corrupta eloquentia aliter censuisse ac tempore quo Dialogum Tacitus in lucem misit.

Est alia etiam res quae mihi Gudemanni rationi obstare visa est. Quaestio de corrupta eloquentia, Gudemannus ait, imprimis vigebat sub Nerone, Domitiani tempore mortua erat („in the reign of Domitian these voices are hushed"), de qua re nos certiores facit Quintiliani liber de institutione oratoria.

Exstabat tamen olim alius Quintiliani liber, cui titulus erat: „de causis corruptae eloquentiae". Constat hunc librum paucis annis ante Institutionem editum esse. Quod neque Gudemannus negat, vide pag. LX. Videtur Quintilianus in illo libro de eadem quaestione egisse quam Tacitus in Dialogo tractavit. Cum ergo quaestio de corrupta eloquentia vigeret *ante* Domitiani tempora, praesertimque sub Nerone, cum adhuc vigeret *sub* Domitiano (anno fere 90), quidni etiam brevi *post* Domitianum viguisset?

Nulla idonea exstare causa videtur, cur putemus Quintiliani „de causis corruptae eloquentiae" librum, longe aliud argumentum tractasse ac Taciti Dialogum. Fortasse tamen contendi posset „causas corruptae eloquentiae" esse causas, cur alicuius eloquentia corrumpi possit; egisse ergo librum de vitiis quae in discenda exercendaque eloquentia sunt vitanda. Sed, quod ego quidem sciam, nemo ex viris doctis qui de huius Quintiliani libri argumento aliquid dixerunt, dubitavit, quin cogitandum esset de causis, cur (nunc) eloquentia corrupta sit, neque usquam in Gudemanni libro vidi eum aliter de hac re censere. Et prae-

terea, si sic putamus, ille alter Quintiliani liber vix, iuxta Institutionem, locum obtinere potest, quia, ut ipsa res fert, de vitiis quae eloquentiae studiosis vitanda sunt, ne suam eloquentiam corrumpant, in Institutione saepius et abunde agitur.

Ipsi loci in quibus Quintilianus ad alterum librum lectores relegat ad hanc quaestionem dirimendam non multum prosunt. (Sunt lib. VI, praef. 3; VIII, 6, 76; fortasse etiam II, 4, 42; V, 12, 23; VIII, 3, 58 alii).

Gudemanni doctam dissertationem, qua demonstrat certas quaestiones certa sua saecula habere, maxime admiror, semper tamen periculosum manebit hac ratione usum de alicuius libri tempore aliquid certi statuere, et praesertim magnopere vereor, ut in hac quaestione ea ratio valeat, videturque mihi Gudemannus quaestionis de corrupta eloquentia saeculum nimis artis finibus inclusisse [1]).

---

1) Cum meum opusculum iam typographo esset traditum, cognovi Boissierii in „Revue des deux mondes" (15 Mars 1902, pag. 325 sqq.) dissertationem.

Constat Boissierio Dialogum primum Taciti esse opus, persuasum ei est librum scriptum esse ante Domitiani tempora, sed postea editum. Dissertationis consilium fert ut Boissierius non diu in hac quaestione subsistat, neque causas, cur sic putet, addat.

Hoc tamen ex ea proferam: (pag. 343) „S'accommoder à son temps, garder le gouvernement qu'on a, et même, si l'on regrette le passé, se resigner au présent, c'était, on s'en souvient, la conclusion de son premier ouvrage; c'est celle aussi des derniers et d'un bout de sa vie à l'autre, il n'a pas changé. La seule différence, c'est qu'au début, dans le Dialogue des Orateurs, sa résignation avait quelque chose de vif et d'aisé, plus d'entrain et de belle humeur; avec le temps elle est dèvenue plus morose".

Nonne haec parva discrepantia, quam Boissierius observavit, satis inde explicatur, quod in Dialogo non suo Marte Tacitus verba facit, sed loquuntur viri qui ante Domitianum vixerunt?

Pag. 330 Boissierius dicit: "Il (Tacitus) avait donc interêt à glorifier les orateurs de son temps, parmi lesquels il tenait une place éminente. Mais son jugement est si ferme, sa sincérité si entière, qu'il les traite sévèrement, quoique sa sévérité retombe sur lui même"; nonne haec "sévérité" multo magis in eum convenit, qui iam diu artem rhetoricam exercuerit?

Quod pertinet ad quaestionem de verbis "nemora et lucos", Boissierius cum Langio facit: "Je crois bien aussi que Pline, qui avait lu le D. d. O., puisqu'il en cite une phrase......" (pag. 331).

CAPUT TERTIUM.

Tandem eo perveni ut agere incipiam de ea re quae, secundum multorum sententiam, longe maximi momenti est ad efficiendum Tacitum non maturiore aetate, non post Domitiani tempora, Dialogum scripsisse; aiunt enim discrepantiam, quae observatur inter Dialogi et ceterorum Taciti operum orationem, explicari non posse nisi intercedat magnum temporis spatium.

Ad intelligendum quomodo haec ratio nata sit, usque ad Justum Lipsium est recedendum; Lipsius enim omnium fere de Dialogo quaestionum pater est.

Idem Lipsius qui in Variis suis Lectionibus nondum dubitabat quin Tacitus Dialogi de Oratoribus auctor esset, in prima Taciti operum editione haec, quae postea celeberrima facta sunt, verba posuit: „sibi tam certum esse Tacitum Dialogum non scripsisse quam si respondisset Apollo", et in posteriore editione (anni 1585): „Tacitum fuisse, qui credam? Stylus valde abnuit, idque non fallax in hoc genere argumentum: stylus in Tacito constrictus ubique, teres, acutus et severus magis quam lepidus: hic omnia contra". Eratque hoc maximum, vel potius unicum argumentum cur Lipsius Dialogum Tacito abiudicaret.

Et sic res in controversiam adducta erat. Postquam iam multi de quaestione egerant, plerique cum Lipsio consenserant, proximo potissimum saeculo viri docti in contrariam sententiam se convertere coeperunt, et multa prolata sunt quibus Lipsii opinio oppugnabatur.

Haec, imprimis, ratio percrebrescere coeperat: cum codices nobis tradunt aliquod opus, neque in titulo nomen auctoris omittunt, offenditur tamen magna orationis discrepantia, si cum ceteris eiusdem auctoris libris illud opus confertur, non licet ex hac re concludere nomen auctoris falso traditum esse, sed potius quaerendae sunt causae, unde illa discrepantia originem duxerit. Nam si hae causae indagari possunt, tota illa argumentatio corruit.

Ipsam rem quam Lipsius observaverat nemo negabat, non probabatur conclusio quam inde duxerat.

Ante omnia ergo opus erat hasce causas conquirere; neque frustra quaesitum est: duae causae a viris doctis reperiebantur. Quarum una erat quod Dialogi et indoles et argumentum longissime distabant a ceteris Taciti operibus. Et, cum haec multis nondum sufficere videretur, altera etiam causa prolata est, nempe quod inter Dialogum et alios libros multum temporis intercedit.

Hic quam maxime opus est ut sibi quisque reddat rationem, quantopere hae duae causae inter se differant. Prior enim constat ex re quae, per se spectata, nulli dubitationi sit obnoxia; nemo enim negabit Dialogum de Oratoribus opus esse generis prorsus dissimilis ceterorum librorum naturae. Ex hac re certissima deinde illa discrepantia orationis explicatur.

In posteriore causa proponenda initium fit ab ipsa illa orationis discrepantia quae explicanda est, et ex ea re deducitur:

necesse esse ut magnum temporis spatium intercedat. Videmus ergo hanc argumentationem longe ab illa distare, eamque multo minus stabili fundamento niti.

Mihi videtur orationis discrepantia satis explicari posse illa priore causa: i. e. argumenti diversitate. Credo et multos alios hanc unam rem idoneam iudicaturos fuisse, nisi una ratio obstitisset, de qua mox acturus sum.

Ad meam sententiam stabiliendam ante omnia laudandus est locus notissimus et qui maxime huc pertineat, ex Plinii epistulis. Volo locum ubi Plinius indicat quid inter orationem et historiam intersit [1]: „habet quidem oratio" ait „et historia multa communia, sed plura diversa in his ipsis, quae communia videntur. Narrat illa, narrat haec, sed aliter: huic pleraque humilia et sordida et ex medio petita, illi omnia recondita splendida excelsa conveniunt: hanc saepius ossa musculi nervi, illam tori quidam et quasi iubae decent: haec vel maxime vi amaritudine instantia, illa tractu et suavitate atque etiam dulcedine placet. Postremo alia verba, alius sonus, alia constructio" ... „ex his causis non adducor ut duo dissimilia et hoc ipso diversa quod maxima confundam misceamque".

Similia Cicero: Or. 36 „narrationes credibiles nec historico, sed prope cotidiano sermone explicatae dilucide"; et Brutus 83: „Demochares... historiam... non tam historico quam oratorio genere perscripsit"; et paulo infra: „Thucydides... hoc forense, concertatorium, iudiciale, non tractavit genus".

Clare ex omnibus hisce perspicimus antiquis visum esse

1) V. 8. 9.

longe aliud scribendi genus historias et orationes decere.

Neque hic dicendum est: „hoc minime mirum, nam ipsa argumentorum discrepantia quandam orationis discrepantiam poscit", nam etsi illa argumentorum diversitas prima huius rei fuit origo, videbamus ex Ciceronis in „Bruto" verbis fieri potuisse ut quis historias scriberet magis oratorio sermone, orationes magis historico. Sed praeter discrepantiam, cuius ipsum argumentum causa est, data opera historiarum scriptor alio dicendi genere utitur atque orator. Omnia fere quae inter Dialogi orationem et ceterorum Taciti librorum interesse a viris doctis observatum est, in Plinii loco enumerata invenimus. Magis vulgaria et communia in Dialogo omnia sunt: nonne et Plinius utitur verbis: „humilia sordida et ex medio petita"? Alia copia verborum, aliis, magisque usitatis, constructionibus Tacitus in Dialogo usus est atque in historicis libris: haec omnia tamquam signa sermonis oratorii et historici Plinius enumerat. Quibus de causis non dubium mihi videtur quin discrepantia illa hac una ratione satis explicari possit.

Praeterea mente tenendum est Dialogum non iustum opus esse oratorium, non, saltem, iustas orationes continere. Nihil nisi sermones domestici in eo inveniuntur, ideoque ad hunc librum eo magis pertinent quae dicit Plinius de humilioribus, vulgarioribusque verbis et constructionibus, quibus orator, si cum rerum gestarum auctore comparatur, utitur. Ob eandem causam „vis" illa „amaritudo et instantia" quae oratoris propria esse dicuntur, eo minus in nostro libro reperiuntur; non enim adstat „vulgi corona" quae talia poscit atque aegre desiderat.

Attamen multis viris doctis haecce non sufficere visa

sunt ad molestias quas Lipsius movit, amoliendas. Iam supra dicebam unam rem multis viris doctis obstare visam. Quae haec sit iam videamus.

„Stilus" sic loquuntur „ipse homo est, stilus non, ut vestis, sumitur aut ponitur, fere non credibile est unum virum, et prorsus non credibile est Tacitum, eodem tempore duobus dicendi generibus esse usum". Quid ergo sumendum est? Idem vir qui postea hac oratione utebatur, fortasse antea alio est usus, vel potius: non tam alia oratione antea est usus, sed illud dicendi genus paulatim se efferre coepit et tandem in hoc abiit. Et sic etiam Tacitus non nisi gradatim pervenit ad austeram hanc orationem quam tantopere admiramur.

Huic rationi accedit, cohaeretque cum ea aliud quiddam. Si cogimur credere Tacitum eodem fere tempore duobus sermonibus usum esse, ex hac re apparet saltem alterutrum quadam arte fictum et elaboratum esse. Quia autem Dialogi sermo multo simplicior et facilior est, non possumus non conjicere alterius dicendi generis opera non sic temere e Taciti calamo fluxisse.

Et sic in scopulum incidimus: negant enim multi eiusmodi aliquid nobis credere licere. Potius concederent Dialogum omnino non a Tacito scriptum videri, quam „magnam illius hominis imaginem, quam mente concepimus, plane confundi et oblini" [1]).

Persuasum iis est Tacitum, post tristissimum Domitiani regnum tantopere imbutum fuisse dolore, indignatione, amaritudine, quorum eius historici libri pleni sunt, ut post illud imperium nullum opus conscribere potuerit, in

---

1) Haec sunt Vogelii verba; pag. 276.

quo non magna cum vi illa erumperent. Amant Tacitum propter severam illam et sublimem indignationem, ipsique indignantur, si quis eam imaginem confundere conetur.

Multum abest ut contendam Taciti indignationem fictam et affectatam esse. Neminem, credo, qui Agricolae praefationem legerit, latebit hic revera nos habere „pectus quod disertum facit". Postquam per XV annos coactus fuit tacere, multaque et horrenda vidit, tandem libertate loquendi recuperata, primum suum librum praefatione exornavit plena indignationis, de cuius sinceritate nemo profecto dubitabit.

Optime nihilominus explicari posse qui factum sit ut in Dialogo talia frustra quaerantur, iam in secundo capite demonstrare conatus sum [1]). De illa re ergo solum dicendum est quatenus ad sermonem pertineat.

Dicendi illud genus breve, asperum, abruptum, quod ex indignatione originem traxit, tantopere Tacito inhaesisse creditur, ut absurdum sit sumere eundem eodem tempore librum scripsisse, in quo huius generis nihil, aut saltem perpauca, inveniantur. „Non enim" aiunt „sic scribere Tacitus *voluit*, sed tristitia temporum eius orationem in hunc modum mutavit".

Poëtam mihi audire hic videor, quare in novam formam corpus aliquod mutatum sit, explicantem, non virum doctum aliquem, qui rei alicuius ex ipsa hominum vita sumptae prudenter sobrieque originem enarrat. Nemo enim semper indignatur; num credendum est Tacitum, domi cum suis confabulantem, etiam illa oratione usum esse qua in historicis utitur operibus? Hoc nemo credet.

---

1) pag. 58 sqq.

Quid mirum ergo eum ne tum quidem, cum fingebat alios domi fabulantes, tali dicendi genere esse usum?

Non obliviscendum praeterea est in nostro libro sermonem haberi ante Domitiani regnum, ab hominibus ergo quibus nulla erat causa, cur semper tanta loquendi uterentur acerbitate. Quin etiam illud dicendi genus, quo Tacitus in aliis libris usus est, plane ab nostri libri argumento abhorret. Quam speciem Dialogus de Oratoribus praebiturus esset, si illo sermone scriptus esset, equidem omnino mihi fingere non possum.

Quid quod ne Taciti quidem aequales, si tali sermone hic liber scriptus esset, probaturos fuisse, Plinii quoque locus, quem supra commemoravi, nos docet?

Iam dixi ex hisce omnino non effici oportere Taciti, quae in aliis libris apparet, amaritudinem affectatam esse, sed sic rem mihi fingo:

Tacitus, ut erat vir eruditissimus et in litteris optime versatus, sciebat atque sentiebat aliud dicendi genus historica opera requirere, aliud opera quae ad rem oratoriam potius pertinerent, neque ignorabat exstare quaedam praecepta generalia, quae in duobus illis generibus vulgo observarentur. Statim intelligimus haec praecepta sermonem historicum non certis finibus coërcere, sed tantummodo lineamenta quaedam eius artis indicare. Nam quomodo singuli auctores hisce praeceptis usuri sint, et ipsorum ingenio definitur, nec non vitae eorum temporibus et statu reipublicae.

Tacitus, nimirum, suas historias conscribens ante oculos habebat tristissima tempora quae depingebat, et quamquam non ipsum illud saevum Domitiani regnum nobis enarrat, tamen et illi anni, de quibus agit, atrocium

facinorum pleni erant. Sic sponte ad illud concisum et severum dicendi genus perveniebat, et praeterea eo adducebatur *et* praeceptis quae illo tempore in arte res gestas conscribendi vigebant, *et* indignatione tristitiaque quae ei obrepebant, quoties praeterita tempora in mentem sibi revocabat.

Contra, cum librum scriberet, qualis noster est, aliter se habebant omnia. Longe aliam orationem artis praecepta requirebant, et longe aliam imaginem sibi ante oculos ponebat: colloquium satis felici tempore habitum, colloquium, praeterea, de re cuius non ea esset natura, ut auctoris nimum valde commoveret. Et quamquam ne hic quidem liber de laetis rebus agit, multum tamen interest utrum aliquis doleat eloquentiam corruptam esse et in peius lapsam, an conqueratur de ingenti dirorum facinorum numero, deque libertate prorsus oppressa.

Haec a probo et iusto viro non sine maximo dolore referri possunt, illa magis eius generis sunt, ut satis moderate de iis agi possit, et sedato animo eius corruptelae causae investigentur.

Ad confirmandum id quod ego censeo: dicendi genus quo Tacitus usus sit non solum ex animi statu quo tunc erat profluxisse, sed magis etiam cohaerere cum argumento quod tractabat, pauca quaedam proferam ex viri docti Walteri libello qui „de Taciti studiis rhetoricis" [1]) inscribitur.

In clara luce ponit Walterus, Tacitum in orationibus, quae Historiis et Annalibus insertae sunt, alio dicendi genere usum esse atque in narrationibus; „iam non variat"

---

1) Dr. E. Walter, Halis Saxonum 1873.

ait „in oratione singulis verbis, sicut in narratione, sed plura ibi interdum synonyma vocabula idem exprimunt, neque is apparet omnino sermo, qui semper a communi genere dicendi abhorrere dicebatur teste Plinio, imo accedere ad proprium quoddam et severum (σεμνὸν), *sed idem in orationibus apparet, qualis fere in Dialogo iam fuit*" [1]).

Recenset deinde omnes orationes, quae in sex prioribus Annalium libris leguntur, annotatque quae in iis ab ceterarum partium oratione diversa magisque Dialogi dictioni similia sint.

Inter quae imprimis notabilis est illa synonymorum frequentia, quam in Dialogo multi tam moleste ferebant, quamque indicare credebant a Tacito iuvene hunc librum esse scriptum.

Aliquot exempla commemorabimus: Ann. I, 22: „his *innocentibus* et *miserrimis lucem* et *spiritum* reddidistis". „Gladiatores quos in exitium militum *habet* atque *armat*". I, 42 „quid enim per hos dies *inausum intemeratumve* vobis". „Divus Augustus *vultu* et *aspectu* Actiacas legiones exterruit". „Tamen *mirum* et *indignum* erat". 43 „*melius* et *amantius* ille, qui gladium offerebat". „Quamquam *decus* istud et *claritudo* sit". I, 58 „non hic primus *fidei* et *constantiae* dies". II, 37 „en *stirps* et *progenies* tot consulum". 38 „ut *privata negotia* et *res familiares nostras* hic augeamus". — „Efflagitatio *intempestiva* et *improvisa*".

Imprimis tertii libri caput 50 commemoretur, ubi invenimus: „sin *flagitia* et *facinora* sine modo sunt, *suppliciis* ac *remediis* principis moderatio maiorumque et

---

1) pag. 21.

vestra exempla temperant", Et paulo post: „studia illa, ut plena vecordiae, ita *inania* et *fluxa* sunt, nec quicquam *grave* ac *serium* ex eo metuas, qui . . .; et in VI, 8 „*propinqui* et *adfines*", „*metu* ac *sordibus*", „*amicitia* et *officiis*".

Quamquam non omnia haec justa synonyma dici possunt (idem valet etiam de iis, quae in Dialogo vituperantur), nemo tamen negabit hunc usum duorum similium verborum ubi unum sufficiebat, certo colore orationem imbuere; et ea re orationes, quae in Annalibus leguntur, Dialogo similes esse.

Neque solus synonymorum usus eo spectat, sed alia etiam notantur a Waltero.

Ex quorum magna copia eligo quae maxime memorabilia videbantur, ut: Ann. I, 58 duplex quaestio introducitur voculis „utrum-an", quod nusquam alibi in Ann. aut Hist. invenitur; II, 37 „nec-nec" II, 38 „sive-sive", quorum usus ceteroquin in posterioribus Taciti operibus perrarus; III, 16 habemus verba „ago" et „rogo", pro quibus in aliis Annalium locis „agito" et „rogito".

„Vel-vel" in Annalibus non legitur nisi IV, 40 in oratione directa, et IV, 42 in oratione obliqua.

Talia non spectant fortuitam quandam in copia verborum discrepantiam, sed ipsum dicendi genus. Si quis auctor, communem morem secutus, vocabulis „nec-nec", „sive-sive", aliisque huius generis utitur, longe alio colore sententias suas inficit ac cum semper compositionem variat.

Cum ergo ad ipsum sermonem haec discrepantiae inter narrationes et orationes (in historicis operibus) pertineant, ex illa re hoc confici posse videtur: si Tacitus in historicis suis operibus non utitur synonymis, utitur saepe constructionibus inconcinnis, aliisque dictionis proprietatibus, quae

in Dialogo non inveniuntur, non hoc fecit quod talia ei pulchriora viderentur, aut saltem maturiore aetate pulchriora videri inciperent, sed quia censebat historicum sermonem talia decere. Nam si tales res, quales sunt usus synonymorum et duplicium coniunctionum, per se spectatae, ei improbandae visae essent, nulla causa excogitari posset, cur in orationibus ad earum usum reverteretur.

Ipsum historicum sermonem sensim esse mutatum, neque prorsus eundem esse in Historiis et in Annalibus minime nego, non tamen ex Dialogi sermone originem duxit ille, sed iuxta eum etiam hunc historicum sermonem Tacitus excoluit. Nam si aliter censeremus, credendum esset Tacitum postquam iam magis profecerat multaque vitia, quibus antea laborabat, superaverat, ultro in historicis orationibus ad vetera illa et puerilia (nam sic loqui oporteret) „vitia" rediisse.

Quod quia absurdum, hoc potius statuendum est: Tacitum et in historiis quadamtenus duobus dicendi generibus esse usum; quorum alterum, magis poëticum, in multo maiore parte invenitur, nempe in narrationibus; alterum, magis Dialogi sermoni simile, in orationibus.

Et sic ipsa historica opera nos docent, cur in Dialogo tam diverso scribendi genere auctor sit usus. Nam si iam in eodem libro alium sermonem oratio, aliam narratio requirit, non mirum in Dialogo prorsus alio sermone auctorem esse usum.

Et si tamen illae orationes non tantum distant a ceterarum historiarum partium dictione quantum Dialogus, ne hoc quidem mirum videri oportet. Nam orationes quae operi alicui historico inseruntur, pars tamen illius operis sunt, ita ut et in iis auctorem, aut de industria aut etiam

invitum, identidem magis historico quam oratorio sermone usum esse verisimile sit. Si tamen scribit opus quod totum a re historica sit alienum, non mirum est, si nulla historici sermonis vestigia in eo inveniuntur.

Nulla ergo probabilis causa exstat, cur aliquis indignetur, si Tacitus dicitur eodem fere tempore duobus dicendi generibus esse usus. Nostris temporibus nemo iam postulat ut peculiari sermone historiae conscribantur, et fingere nobis possumus virum, qui prorsus eodem modo et historias componit et libros qui longe diversi generis sint. Antiquos aliter de hac re censuisse notum est, et praesertim Taciti temporis homines sermonem historicum ab oratorio seiunxisse Plinii locus docet. Suis ergo aequalibus iudicibus non tam praeclarum ingenium fuisset Tacitus si hoc neglexisset. Videbamus Plinio, oratori, nimis difficile visum esse etiam historiis operam dare, quia ad res gestas conscribendas prorsus aliud dicendi genus requirebatur, ad quod discendum verebatur ne vires sibi deëssent. Eo magis ergo laudandus is erat, qui ambo genera simul exercere poterat, et sic eadem res, de qua multi nunc indignantur, et quae iis Taciti imaginem obscurare videtur, ipsius Taciti temporibus causa erat, cur eo magis aequales eum admirarentur.

Quamvis dissimiles inter se sint Dialogi oratio et ceterorum operum sermo, tamen etiam in Dialogo „velut ex ungue leonem" [1]) Tacitum agnoscere possumus. Hac de re vulgo sic dicitur; „etsi maturiore demum aetate ad verum suum sermonem pervenit, tamen et in iuventute, cum ante omnia Ciceronis genus dicendi imitaretur, iam

1) Ut Jansenius ait.

vestigia apparere coeperant illius sermonis, quo postea tantam gloriam Tacitus adeptus est.

Sed si credimus post Domitiani tempora, eodem tempore quo Agricola scriptus est, Tacitum Dialogum edidisse, non minus facile illae similitudines explicantur. Nam quamquam exstat certum quoddam dicendi genus quod historiam, certum quod dialogos decet, nemo tamen negabit singulorum auctorum orationes, singulorumque historias, inter se dissimillimas esse posse, et, contra, unius auctoris opera, quamvis diversi sint generis, simile quiddam vulgo habere. Oratio nimirum ex duabus rebus oritur, ex artis praeceptis et ex auctoris ingenio. Habemus ergo in Dialogo orationem, quae nata est ex praeceptis artis rhetoricae et ex Taciti ingenio; in historicis operibus ex eodem illo ingenio et ex eius artis legibus, quae ad res gestas conscribendas pertinet.

In utroque ergo genere duae res observantur quarum altera ambobus est communis, altera alterius generis propria, et sic fit ut in Dialogo non desint quae cetera Taciti opera nobis in mentem vocent.

Multi sic tamen argumentantur: Dialogum a Tacito iuvene conscriptum esse non inde apparet quod alio, non tam pulchro, dicendi genere utitur, verum quod *nullum* iam proprium dicendi genus habet, sed Ciceronem imitatur.

De hac quaestione, quatenus formam et oeconomiam Dialogi spectat, iam antea egi[1]), nunc de eadem quaestione pauca etiam dicenda sunt sermonis ratione habita.

Quamquam multa in Dialogo notari possunt, quae Ciceronis dictionem nobis in mentem revocent, non minus

---

1) pag. 63 sqq.

multa inveniuntur quae Quintiliani orationi, multa quoque quae Plinii similia videntur [1]), quae res causa fuit, cur nonnulli Plinio, nonnulli Quintiliano Dialogum adscriberent. Nemo enim credet Tacitum imitatum esse et Ciceronem et Quintilianum et Plinium. Sed si cum sermone trium hominum, qui inter oratores aut rhetores sunt numerandi, communia quaedam Dialogi dictio nobis praebet, non possumus non conjicere Tacitum nihil aliud fecisse, quam praeceptis uti, quae in arte rhetorica vigebant. Si denique Dialogi dictio quaedam habet quae ceteris Taciti operibus non sunt dissimilia, ad ea revertimur quae supra dixi: Dialogi sermonem originem traxisse et ex artis praeceptis et ex ipsius auctoris ingenio.

Inter ea quae proximo saeculo de Taciti oratione scripta sunt, nihil est quod, idque optimo iure, tam inclaruit quam Wölfflini de ea re in „Philologo" [2]) dissertatio: quae ibi vir doctus scripsit omnibus fere rata visa sunt. Videndum tamen est, an non hac dissertatione nonnulli aliter quam debebat usi sint.

Quid enim rei est? Et ante Wölfflinum non pauci fuerunt qui putarent propter sermonis discrepantiam non nisi a Tacito iuvene Dialogum conscribi potuisse, aut miraculum esse hanc discrepantiam, quod explicari nequiret. Non tamen illi sic ratiocinabantur: „Tacitei sermonis initium habemus in Dialogo, sensim deinde se effert, fastigium suum in Annalibus attingit", sed potius dicebant: „videmus certum quendam et fere sibi constantem sermonem ab Agricola

---

1) Vide Vogel p. 256 usque ad p. 266.
2) Phil. XXIV—XXVII (imprimis XXV).

usque ad Annales; in Dialogo longe alius sermo se nobis offert". Nemo erat qui contenderet se in omnibus Taciti scriptis quandam sermonis gradationem observasse.

Ad hanc rationem viam patefecit Wölfflinus, sed, aut ego fallor, aut multi illa via iusto longius progressi sunt.

Wölfflinus enim hoc modo egit: nititur rebus quae nulli dubitationi sunt obnoxiae: Tacitum primo scripsisse opera minora (Dialogum, Agricolam, Germaniam) deinde Historias, denique Annales. Hisce ergo fretus omnium librorum dictionem accurato subiecit examini; eventusque earum inquisitionum erat ut eo perveniret, ut clare legentibus exponere posset, quomodo Taciti sermo gradatim mutatus esset.

Statim intelligimus multum interesse utrum aliquis *noverit* quo ordine temporis auctor seriem librorum scripserit, et deinde demonstret, quo modo, quibus gradibus, eorum librorum sermo mutatus sit, an *non* noverit quo tempore singula scripta sint edita, sed ipsum hunc ordinem ex stili mutationibus, quas sibi observasse visus est, constituere conetur.

Si cui viro in manus traduntur aliquot unius auctoris scripta, et si ille vir versatissimus est in re litteraria, neque ei deëst acre iudicium, sine dubio nobis fingere possumus eum virum, postquam omnia opera magna cum cura legerit et percensuerit, nobis demonstrantem, quomodo huius auctoris genus dicendi mutatum sit, luculentaque fortasse exempla proferentem, quibus ea res demonstretur.

Sed si eidem viro dantur opera omnia alicuius auctoris, quae, quo temporis ordine scripta sint, nescit; rogamusque ut eorum sermonem velit cognoscere, deinde constituere quo singula sint edita, res iam multo multoque fit difficilior.

Quod primo loco ponebam Wölfflinus fecit, fecitque mira doctrina et sagacitate, quod secundo loco, non fecit, neque facere conatus est. Dialogus semper una cum Agricola et Germania nominatur, nomine „scripta minora" („die Kleinere Schriften") saepe etiam scripta minora, cum Historiis iuncta, opponuntur Annalibus; sed de ipso Dialogi scripti tempore nihil concluditur.

Nam si iam difficile est ex sermonis mutationibus singulos eiusdem auctoris libros, qui omnes unius sunt generis, ad suum referre tempus, longe difficilior etiam haec res fit, si omnia alia illius auctoris opera eidem fere generi sunt adnumeranda, unum tamen exstat quod prorsus a ceteris abhorreat. Nihil fere hic liber habet quod cum aliis libris conferri possit.

Quod ad Tacitum pertinet, res prorsus hoc modo se habet. Satis accurate scimus quo tempore singuli Taciti libri sint scripti; de uno Dialogo tamen maxime dubitatur, et hic ipse ceteris plane est dissimilis.

Nam non tam simplex haec quaestio est ut e. g. dicere liceat: „inter Agricolae et Historiarum sermonem non magna est discrepantia: nihil mirum, breve enim spatium temporis intercedit; permagna est discrepantia inter Dialogum et Agricolam: neque hoc magis mirum, longum enim spatium temporis intercedit". Si sic argumentaremur hoc haberemus: inter Agricolae et Annalium tempora XX fere intercedunt anni, sermonis tamen discrepantia tam exigua est, ut ante Wölfflinum nemini contigerit in clara luce ponere qualis ea esset et quibus circumscripta finibus. Cum autem Dialogus tantum a ceteris libris, quod ad dictionem pertinet, abhorret, ut propter hanc unam causam Lipsius et multi alii Dialogum Tacito abiudicarent, quae-

ritur an non multa saecula inter Dialogi et Agricolae tempora intercedere credendum sit!

Verum sit hic statim obiici posse: in Dialogo aliam causam accedere, cur tantopere eius sermo a ceterorum librorum discrepet, sed ex hac ipsa re sequitur in tanta sermonis diversitate ex ipso sermone nihil certi de tempore confici posse. Nam si dicimus: „est magna sermonis discrepantia, explicatur ea duabus rebus: argumenti diversitate et intervallo temporis", nemo, opinor, erit qui certis finibus constituere audeat, quanta pars argumento, quanta tempori sit tribuenda; et sic dubium manet an non tota discrepantia ex argumento orta sit.

Videbamus iam Wölfflinum, in sua dissertatione, de Dialogi tempore e sermonis genere definiendo ne cogitasse quidem; operae pretium est etiam videre quam caute et prudenter de Dialogo verba faciat.

Dicit [1]) Wölfflinus hoc vitio multos Taciti editores laborasse, quod non perspiciebant Taciti historicum sermonem paulatim, currentibus annis, mutatum esse, sed putabant omnium historicorum librorum dictionem prorsus eandem esse. Addit se *non* loqui de Dialogo, „ein solcher *generelle* verschiedenheit des stiles, wie etwa zwischen Cicero's philosophischen Schriften oder briefen und seinen reden, konnte sich dem blicke unmöglich entziehen ... sondern ich meine die entwicklungsstufen, die ein Schriftsteller *innerhalb des nämlichen genre der litteratur* ... durchmacht". Ergo in hac dissertatione Dialogus nullum fere locum obtinere potest, dicit modo [2]) v. d. se sperare fore ut,

1) Phil. XXV, pag. 95.
2) pag. 96.

si gradatio sermonis, quae in historicis libris observatur, retro in Dialogum transfertur, ea res magnam partem dubitationis, quae adhuc exstat de Dialogi auctore, abolere possit, et ut sibi contingat demonstrare quae Dialogi sermo cum historicis libris communia habeat, (si non cum omnibus, tamen cum prioribus) quamquam viginti anni intercedant.

Constat ergo et Wölfflino ante Domitianum Dialogum scriptum esse, non tamen e suis in Taciti sermonem inquisitionibus hoc effecit, sed externae causae eum ad hanc sententiam adduxerunt.

Dicit quidem [1]) Taciti opera historica, si non iam ob alias causas sic ordinanda essent ut vulgo fit, etiam ob sermonis mutationes in eadem serie poni oportere; sed longe alia res est hoc profiteri, ac, si revera illae aliae causae abessent, verum temporis ordinem constituere. Et quod magis etiam notabile est: non addit *Dialogo* quoque ob dicendi genus, quo in eo Tacitus utitur, suum iustum tempus tribui posse.

Ex hisce omnibus sequitur rem esse plenam periculi Wölfflini investigationibus uti ad rem demonstrandam quam ipse eo modo demonstrare ne conatus quidem est.

Longius etiam progredi possumus: *si iis exemplis, quibus Wölfflinus. Tacitei sermonis mutationem demonstrat, utimur eo consilio, ut ex iis aliquid coniiciamus de tempore quo Dialogus scriptus sit, nihil aliud nobis apparet quam Dialogum eodem fere tempore scriptum esse quo Agricolam, Germaniam, Historias.*

---

1) pag. 95.

Percenseamus omnes locos in Wölfflini dissertatione, ubi Dialogus cum aliis libris confertur:

Phil. XXV, pag. 99 sqq.

p. 99 *firmitas*, semel legitur in Dial. semel in Hist. semel in Ann. in quibus ceteroquin semper *firmitudo* legitur.

p. 101 *materies* et *materiem*, aut *materia* et *materiam*. Formae in *ia* et *iam* leguntur in Ann. 1[1]) Dial. 3, Germ. 2, Hist. 4.

p. 103 *adversus*, Dial. 4, Agr. 10, Germ. 4, in hisce minoribus scriptis *adversum* nusquam legitur; in Historiis *adversus* et *adversum* promiscue, in Annalibus plerumque *adversum*.

rursus Dial. 3, Agr. 3, Germ. 3. In hisce nusquam *rursum* quod in Annalibus praevalet.

oraculum, Dial. 1, Hist. 2. In Ann. promiscue *oraculum* et *oraclum*.

p. 104 *anteire*. In Dialogo et in Historiis littera *e* non eliditur, in Annalibus saepe: *antibo, antire* etc.

p. 105 *ex quis* saepe in Ann. In Dial., Agr., Germ., Hist. semper *e*(*x*) *quibus*.

deinde, Dial. 4, Agr. 3, Germ. 3. In Hist. *deinde* et *dein*; in Ann. fere semper *dein*.

p. 106 *offensio*, semper in Ann.; *offensa* in Dial. 3, Hist. 9.

p. 108 *sicut*, Dial. 10, Agr. 3, Germ. 3, Hist. 4, Ann. 3.

p. 109 *prout* Dial. 2, Agr. 3, Germ. 7, Hist. 11. In Ann. rarissime occurrit.

velut Dial. 18, Agr. 10, Hist. III 14, Hist. IV 9 in Annalium singulis libris circiter 4.

---

1) Loco semel, bis, ter etc. brevitatis causa ponimus 1, 2, 3, etc.

p. 110 *non solum-sed etiam*, Dial. 4, Agr. 2, Ger. 1, Hist. 0, Ann. 1.

dummodo, Dial. 1, Germ. 1. In posterioribus libris *dum* semper pro *dummodo* invenitur.

ideoque, Dial. 1, Germ. 1, Agr. 1.

p. 111 *affirmare*, Dial. 1, Agr. 3, Germ. 2, Hist. 12, Ann. 12.

assuescere, Dial. 2, Agr. 2, Germ. 1, Hist. 2 *suescere* in Ann. demum occurrit.

adiuvare, Dial. 1, Agr. 1, Hist. 4, in Ann. huius verbi solum part. perf. pass. legitur.

p. 112 *adipisci*, Dial. 1, Agr. 1, Hist. 4 et saepe in Annalibus, in quibus etiam *apisci* vox invenitur, quae non in aliis libris.

accurate, Dial. 2, *curate* in Ann.

innotesco, Dial. 1, Hist. 1; in Ann. modo *notesco* legitur.

p. 115 *ablativi absoluti sine subjecto* in Dial., Agr., Germ., non inveniuntur. Incipit hic usus in Historiis, vulgatus iam est in Annalibus.

p. 116 *anastrophe praepositionum*, abest in scriptis minoribus. Satis raro in Hist. saepe in Ann.

p. 118 *quanto-tanto*; *quo-eo*: Dial. 2, Agr. 3, Germ. 1, Hist. 6. In VI prioribus Annalium libris 10, in posterioribus 5 (saepe in oratione indirecta).

p. 119 *quae cum dixisset*, Dial. 2, in aliis libris, huius generis locis, *ubi* dicitur.

p. 120 *quatenus*, (sensu causali), Dial. 2, Germ. 2, Hist. 3, Ann. 1.

p, 122. In Annalibus saepe inconcinna vocabula inter se opponuntur ut „innocentes et noxios", „illustres igno-

biles" (pro: „nobiles-ignobiles"), „quaeque impenetrabilia quaeque pervia" (pro „invia-pervia"). In Dial. (ut: „de iusto et iniusto"), in Germ. (ut: „notum-ignotumque"), in Hist. (ut: „solita-insolitaque", „periti imperitique") magis vulgari modo vocabula contraria inter se opponuntur.

p. 123 *sive-sive,* Dial. 8, Agr. 2, *seu-seu,* Agr. 2, Germ. 2.

p. 124 *neque-neque,* Dial. 6, Agr. 3, Germ. 4, Hist. (singulis libris) 6, 2, 8, 9, 4, Ann. (libris 11—16) 0, 1, 2, 2, 0, 1.

nec-nec, Dial. 8, Agr. 2, Germ. 4, Hist. (libris 1, 3, 4) 7, 2, 1, in omnibus Ann. libris 3.

aut-aut, Dial. 12, Agr. 8, Germ. 6, Hist. (lib. I—IV), 4, 6, 6, 5, Ann. (libris 1, 2, 3, 4, 6), 0, 1, 1, 0, 0.

p. 125 *polysyndeta* in scriptis minoribus frequentia, semel in Historiis, in Annalibus non inveniuntur.

pleonasmi: „ante praedicere" et „prius praedicere" in Dialogo; „initium inchoatur", „initium coepit" in historicis libris; rarius in Annalibus.

Addendum est ex Philologo XXVII:

p. 135 *olim* in Dial. Agr. Germ. significat spatium plus quam centum annorum, postea sensim brevius tempus indicare coepit, usque ad unius anni spatium.

Videmus huic seriei nihil inesse ex quo appareat Dialogum multo ante cetera scripta minora editum esse. Nam, etsi in iis, quae non in Annalibus sed solum in prioribus scriptis leguntur, quaedam sunt quae saepius in Dialogo occurrunt quam in Agricola aut Germania, non, contra, desunt quae in Agricola, Germania, aut singulis Historiarum libris saepius inveniuntur.

Modo commemorandum est (ex Phil. XXVI) vocem

aliquis cum solo substantivo, sine adiectivo, in Dial. 15 occurere, in Agr. 3, in Germ. 5; minoris iam momenti est vocem *quidam* sine substantivo in Dial. 18 in Agr. Germ. 15 occurere.

Si denique reputamus Dialogum in editione Halmiana occupare 40 paginas, Agricolam 30, Germaniam 25, iam minus mirum est, immo ipsa ratio fert, quaedam in Dialogo saepius occurrere quam in Agricola aut Germania.

Una res excipienda est: vox *fere* in solo Dialogo occurit, in ceteris libris semper *ferme* invenitur, sed nemo putabit, opinor, ex hac una re quidquam concludi posse; potius rogandum est an non vox *fere* magis sit vulgaris, ergoque Dialogi sermoni aptior quam *ferme*.

Wölfflinus ergo tantum non semper de Dialogo una cum aliis scriptis minoribus mentionem facit, sibique proposuerat: demonstrare quomodo Taciti historicus sermo labentibus annis se mutaverit. Quod pertinet ad quaestionem de tempore scripti Dialogi, nihil certi nobis praebet neque praebere voluit.

Hanc rem in clara luce ponere conatus sum, quia mihi visi sunt nonnulli, freti quodammodo Wölfflini dissertatione, operam dare ut demonstrent apparere ex copia verborum, qua Tacitus in Dialogo utitur, hoc opus multo ante Agricolam (Germaniam, Historias) scriptum esse.

Imprimis aliquid observare velim de quadam re, quae in Johnii egregia editione minus probanda mihi visa est.

Longa serie locutionum, in Dialogo occurentium, componenda cum similibus ex ceteris libris, juxta alias argumentationes, et hac re efficere Johnius conatus est revera Tacitum Dialogi esse auctorem. Sunt in hac enumeratione quaedam, quae ut multum probare videantur maxime

vereor; quid enim nostra scire refert in Dialogo VII legi „defendere datur" et in Ann. IV, 60, 4 „defendere daretur"? praesertim in contextu satis dissimili? Neque magis eo moveor quod in Dialogo (XXXVII) legitur, (in figura) „stare tamquam in acie", in Historiis (IV, 85) eadem verba „in acie stare" sensu proprio occurrunt. Et qui negant a Tacito Dialogum scriptum esse, profecto non se victos esse confitebuntur postquam audiverint in aliquo Dialogi loco (XXXV) de „pueris robustioribus" sermonem esse, in Germania (XIII) eiusdem adiectivi comparativum gradum cum substantivo „adulescentuli" conjunctum occurrere. Quamquam ergo haec ita sunt, quamquam multa alia etiam insunt quae non maioris sint momenti, tamen mihi in animo non est ipsi rei, quam hac serie conquirenda probare Johnius voluit, contradicere.

Malim aliquantisper subsistere in annotatione, quam invenimus in pagina 15 Johnii editionis, ubi hoc habemus: „Die dem klassischen Sprachgebrauch angehörigen Wörter und Wendungen, die nur im Dialogus, nicht mehr in den späteren Werken des Tacitus vorkommen, sind, abgesehen von den unmittelbar durch den Stoff bedingten Ausdrücken, folgende", sequitur series verborum satis longa. Si revera credendum esset multa verba in solo Dialogo, non*dum* in ceteris Taciti operibus obvenire, sine dubio fere constaret hunc librum satis diu ante ceteros scriptum esse.

Si tamen accuratius hanc seriem inspicimus, duae res se nobis offerunt; primo: dicit quidem Johnius se exclusisse ea verba quae propter argumenti diversitatem in solo Dialogo leguntur, non in aliis libris, sed in hac re nimis artis finibus usus esse vir doctus videtur;

secundo: multa insunt in Dialogo verba et locutiones, quae in historicum sermonem non conveniunt.

Si haec excipimus, nihil fere restat quam vocabula quae *semel* in Dialogo occurrunt, ita ut metuendum sit ne mero casui sit tribuendum quod in ceteris libris haecce vocabula non occurrunt.

Ad has res demonstrandas opus est ut eam seriem percenseamus:

anxietas c. 23 et 39. Posterior locus: „diligentis stili anxietatem", ad artem rhetoricam quodammodo pertinet.

arbitratus semel (c. 42).

artificium semel (c. 32).

assiduitas semel (c. 5).

auditor, quinquies legitur (c. 20, 23, 29, 32, 34); sed huius vocabuli usus originem ducit ex argumento; qui „de oratoribus" loquitur non tacet de eorum „auditoribus".

bibliotheca bis legitur (c. 21, 37) et huius rei argumentum causa videtur (vide etiam ad vocem „poeta").

causidicus bis (c. 1, 12), artis vocabulum [1]).

clavus semel (c. 7).

condiscipulus bis (c. 35), artis vocabulum.

descriptio semel (c. 20).

dicacitas semel (c. 29), artis vocabulum.

differentia bis (c. 15, 33).

discipulus semel (c. 29), artis vocabulum.

eruditio sexies (c. 2, 14, 16, 24, 26, 30); artis vocabulum.

facultates bis (in uno capite 8).

---

1) „Artis vocabula" non tantum ea voco, quae in solis ad artem rhetoricam pertinentibus libris locum habere *possunt*, sed ea quoque quae e rerum natura *multo saepius* in huius generis libris quam in aliis inveniuntur.

genius semel (c. 9).

historia semel (c. 3), vide ad vocem „poëta".

honestas semel c. 31: „nam in iudiciis de aequitate, in deliberationibus de utilitate, in laudationibus de honestate disserimus", artis vocabulum.

humilitas semel (c. 39).

incus semel (c. 20).

ineptiae semel (c. 32). Vide contextum: „quos si forte haec audierint, certum habes dicturos me, dum iuris et philosophiae scientiam tamquam oratori necessariam laudo, *ineptiis meis* plausisse". Verbum videtur e familiari sermone, quod in historico sermone locum habere non potest.

inscientia bis (c. 28, 35).

iucunditas quinquies legitur (c. 9, 31, 6 bis, 10), duobus, sine dubio, locis artis vocabulum est: c. 31: „dabunt Academici pugnacitatem, Plato altitudinem, Xenophon *iucunditatem*". c. 10 „nec solum cothurnum vestrum aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque *iucunditatem* et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem etc."

lepos semel (c. 26), est artis vocabulum: „(Cassius Severus) et varietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum virium robore ceteros superat".

lis semel (c. 5).

macies semel (c. 21); neque sensu proprio ut dicitur e. g. de homine, sed est vocabulum ad artem rhetoricam pertinens.

nitor quater (c. 20, 23, 21 bis), sed semper usurpatur de orationis proprietate, numquam de alia re, artis ergo est vocabulum.

patrocinium semel (c. 4).

perturbatio semel (c. 36).

poëta, *poëticus* etc. Haec vocabula in Dialogo saepe occurrunt, in ceteris Taciti operibus non inveniuntur. Ante omnia hic laudanda est prudentissima Wölfflini annotatio, quae legitur in Phil. XXVI, p. 141. Loquitur vir doctus de vocibus „philosophia" et „sapientia" apud Tacitum obviis; observavit Tacitum in prioribus suis operibus saepe voce „philosophia" usum esse, postea tamen hoc vocabulum evitasse, proque eo usum esse voce „sapientia". Idem valet de voce „poeta" multisque aliis Graecis vocabulis, addit tamen Wölfflinus: „Aenlich hat Tacitus im Dialog „poëta" oft gebraucht, konnte auch dieses wort, da das thema ihn so oft auf poësie und rhetorik führt *unmöglich vermeiden*".

Nimirum Tacitus agens de quaestione, utrum ars poëtica an rhetorica superior esset, non poterat non uti eo vocabulo, quod omnibus hominibus usitatissimum erat: ipsius „poëtae" nomine. Verissimum est Tacitum paulatim peregrina vocabula evitare coepisse, sed quod in hoc libro vox „poëta" aliaeque huius generis saepe occurrunt, omnino non probat Dialogum diu ante cetera opera scriptum esse. Ceteroquin: vox „philosophia" e. g. etiam in Historiis invenitur.

Praeterea reputandum est multo graviores causas fuisse, cur in operibus historicis talia Tacitus evitaret quam in Dialogo. Vocabula enim peregrina semper et ubique fuerunt cotidiani sermonis (inter homines eruditos scilicet); a sermone tamen sublimiore, sive poëtico sive historico, aliena sunt. Sic nos in cotidiano sermone saepe utimur vocibus „visite" aut „hotel", pro quibus in sublimiore oratione semper „bezoek" et „herberg" dicitur. Sescenta huius rei exempla proferri possunt; et quod apud nos

sunt verba Franco-Gallica, id apud Romanos erant verba Graeca.

Idem quod de voce „poeta", etiam valet de vocibus: „bibliotheca", „historia", aliis.

salutatio (sensu „Besuch") semel (c. 29), alio sensu vox „salutatio" etiam in ceteris Taciti libris legitur; et vox „salutare" sensu „besuchen" legitur e. g. Ann. XIII, 18; XIV, 56.

schola quater (c. 31, 35 ter), et hoc verbum propter suam naturam locum habet in libro de arte rhetorica; vide etiam ad vocem „poëta".

stilus semel (c. 39), est artis vocabulum.

subsellium bis (c. 9, 34), si contextum inspicimus videmus et hoc esse verbum ex re rhetorica.

tabella semel (c. 36).

tabularium semel (c. 39), vocabulum e re rhetorica.

torus semel (c. 21).

torrens semel (c. 24), dicitur de *oratione* Apri: „quo torrente quo impetu saeculum nostrum defendit".

veternus semel (c. 20).

Haec sunt substantiva quae Johnius (usus Greefii Lexico) collegit, sequitur adiectivorum series.

accuratus bis (c. 6, 14) contextus: „accuratam meditatamque orationem" et „accuratissimus sermo", est ergo artis rhetoricae vocabulum.

admirabilis semel (c. 30).

amarus semel (c. 25) sensu rhetorico, nempe de sermonis genere usurpatur. Eodem sensu vox „amaritudo" invenitur.

argutus semel (c. 20): „sive sensus aliquis arguta et

brevi sententia effulsit", et hic locus artem rhetoricam spectat.

aridus bis (c. 18, 19), c. 18 dicitur de oratore quodam, c. 19 de libro. Nusquam ergo sensu proprio sed utroque loco sensu rhetorico.

augustus bis (c. 4, 12). In priore loco vox de eloquentiae quodam genere usurpatur.

commodus semel (c. 12), loco, secundum multos, corrupto.

cotidianus ter (c. 4, 30, 32). C. 32: „quod adeo negligitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum huius quoque cotidiani sermonis foeda ac pudenda vitia deprehendantur"; hic locus ad artem rhetoricam pertinet, „cotidianus sermo" opponitur orationum sermoni.

dulcis quater (c. 5, 6, 13, 18). Sed c. 18 „dulcis" epitheton est dicendi cuiusdam generis; c. 13 Vergilii verba citantur; c. 5 vox „dulcis" e coniectura in textum illata est, ita ut unus modo locus restet.

effrenatus semel (c. 40).

elinguis semel (c. 36), ubi voci „disertus" opponuntur: „mutus et elinguis".

forensis quater (c. 4, 8, 11, 14); sed hoc in libro de arte rhetorica, cuius „forenses" causae magna sunt pars, minime notabile videtur.

fructuosus semel (c. 5).

heroicus semel (c. 10) „heroici carminis sonus" in loco iam supra ad vocem „iucunditas" laudato. Quaeritur quomodo fieri potuerit, ut in historicis quoque operibus hoc vocabulum occurreret, nisi mero quodam casu.

improbus semel (c. 11).

inexercitatus semel (c. 5): „disertam quidem sed inexercitatam sapientiam".

inflatus semel (c. 18), ubi dicitur Cicero nonnullis nimis inflatus et tumidus visus esse; artis rhetoricae ergo est vox.

inquinatus semel (c. 20).

insulsus semel (c. 22) „fugitet (orator) foedam et insulsam scurrilitatem, variet compositionem etc." in mediis rhetoricis praeceptis ergo versamur.

invidus bis legitur (c. 5, 34).

lautus (sensu non proprio) semel c. 22.

legitimus semel (c. 32, sensu „ordentlich").

meretricius semel (c. 26), in loco qui de orationum genere quodam agit: „orationem fucatis et meretriciis vestibus insignire".

oratorius sexies (c. 5, 6, 8 bis, 10, 26); in „Dialogo de *Oratoribus*", hoc profecto nemo mirabitur.

peculiaris semel (c. 29).

perfectus semel (c. 26): „omisso optimo illo et perfectissimo genere dicendi".

politus semel (c. 18), est artis rhetoricae vocabulum: dicitur de Crasso, qui erat „politior" Graccho; eodem capite eodemque contextu semel „impolitus" legitur.

quivis haec vox, si saepe in Dialogo, nusquam aut raro in ceteris libris inveniretur, fortasse ne sic quidem multa nos doceret, videtur enim magis cotidiani quam historici sermonis; sed semel (c. 1) modo legitur.

reconditus bis (c. 28, 33).

remissus semel (c. 11).

ridiculus semel (c. 39).

sanus semel (c. 41).

insanus semel (c. 13).

semotus semel (c. 2), contextus: „ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus

exciperem" obvenit ergo in serie verborum ad artem rhetoricam pertinentium.

studiosus ter (c. 32. 2. 31), c. 32 et 2 in contextu: „studiosi alicuius oratoris audiendi", c. 21 substantive usurpatur: „is qui studet arti rhetoricae".

subtilis semel c. 1 „excogitata subtiliter et dicta graviter".

temerarius semel legitur (c. 40) de quodam eloquentiae genere.

tener bis (c. 26, 29), c. 26, „tenere dicere, diserte saltare".

tunicatus c. 7 „tunicatus hic populus" opponi videtur capiti V, 6 „togatorum comitatus". „Togatus" vocabulum et in aliis libris legitur, quod vox „tunicatus" in solo Dialogo invenitur, nemo non mero casui tribuet.

abundare semel (c. 12).

accumulare semel (c. 8), in Annalibus III, 30, vox „accumulator" legitur.

anhelare semel (c. 13).

arridere semel (c. 42).

comprehendere semel c. 31, „iuris civilis scientiam veteres oratores comprehendebant".

concludere semel (c. 31), „argumenta concludens dicendi genus" sensu rhetorico ergo usurpatur.

copulare semel c. 17.

coronare semel c. 13.

corroborare semel c. 34.

declamare, *declamatio*, *declamatorius*, singula haec vocabula semel leguntur (c. 31, 15, 14), sunt haec sine dubio artis vocabula.

delectare, hoc verbum quater (c. 14 bis, 31, 22) legitur.

deridere semel (c. 32).

desumere semel (c. 37).

determinare semel (c. 16), et hoc quodammodo artis vocabulum videtur.

dimicare semel c. 34.

disputare, *disputatio*, octies leguntur (c. 14, 15, 31. 1, 2, 14, 27, 31), neque hoc mirum, totus enim liber est „disputatio", suntque haec verba in re rhetorica vulgatissima.

elaborare ter (c. 6, 9, 18), c. 18: „Corvinus dulcior et in verbis magis elaboratus" etiam capite 9 artis est vocabulum; c. 6 in loco corrupto legitur.

elucubrare semel (c. 9): „unum librum excudit et elucubravit".

excellere semel (c. 32).

excerpere bis (c. 22, 26); prior locus artem rhetoricam spectat.

excogitare semel (c. 1).

excolere semel (c. 22), sensu rhetorico.

excudere semel (c. 9), sensu rhetorico (vide „elucubrare").

exhortari semel (c. 14), sed vox „exhortatio" in Historiis invenitur.

expilare semel (c. 37).

expolire semel (c. 22), artis vocabulum.

fugitare semel (c. 22), constat Tacitum in historicis operibus verba frequentativa, quae apud Ciceronem satis rara sunt, in deliciis habuisse; ita ut verbum fugitandi, si quidque probaret, potius meae parti faveret.

importare semel (c. 3).

informare semel (c. 31): „neque enim sapientem informamus neque Stoicorum comitem".

insequi (sensu insectandi), aliis significationibus et in ceteris libris saepe occurrit. In Dialogo habemus hos locos: c. 34 „L. Crassus C. Carbonem, Caesar Dolabellam, Asinius Pollio C. Catonem, Calvus Vatinium orationibus insecuti sunt". C. 4 „agitare et insequi poëtas". C. 21 „nolo Corvinum insequi". Ex tribus hisce locis apparere videtur in re rhetorica insequendi verbum hoc potissimum sensu usurpari.

instituere (sensu: „unterrichten"), semel (c. 33), artis rhetoricae vocabulum, cf. titulum Quintiliani libri: „institutiones oratoriae".

introducere semel (c. 30).

nitere semel (c. 20).

odorari semel (c. 19), hoc contextu: „quod si quis odoratus philosophiam videretur", eadem significatione apud nullum, nisi fallor, auctorem antiquum legitur, non ergo numeranda est haec vox inter: „die dem klassischen Sprachgebrauch angehörigen Wörter, die nur im Dialogus, nicht *mehr* in den späteren Werken des Tacitus vorkommen".

percipere bis in c. 33 legitur; et hoc quodammodo artis est vocabulum.

perturbare semel (c. 4).

praecerpere in Dialogo non legitur; invecta est vox coniectura Scheelii, c. 9, ubi legitur „praecipio" quod verbum etiam in Annalibus et Historiis occurrit.

praecurrere (sensu „übertreffen") semel hoc sensu legitur (c. 22), alio sensu legitur c. 20 et e. g. Hist. I, 45, II, 88.

profanare semel (c. 11) vox „profanus" et in ceteris libris legitur.

recedere (sensu: „aufgeben", „abweichen") priore sensu

semel c. 14; posteriore quater (15, 24, 32, 19). In Germania quoque huic voci tribuitur sensus qui nusquam alibi, vide Germ. 35: „hactenus in occidentem Germaniam novimus, in septentrionem ingenti flexu recedit".

redolere semel (c. 21).

respuere bis (c. 9, 34).

saltare bis in uno capite (c. 26), sed, quamquam non certi cuiusdam hominis, aliorum tamen verba citantur: „plerique iactant cantari saltarique commentarios suos, unde oritur illa foeda et praepostera, sed tamen frequens quibusdam exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicuntur".

sapere semel (c, 36).

secedere bis (c. 9, 12) legitur, sed duobus locis qui inter se respondent. Vox „secessus" etiam in Annalibus occurit.

sordere semel (c. 23).

studere (sensu: „seine Studien machen") ter legitur (c. 21, 22, 34); non tamen mirum hoc vocabulum legi in opere, ubi fuse de rhetoricis studiis agitur, in ceteris non occurrere.

subministrare semel (c. 37).

subridere semel (c. 11).

suspicari semel (c. 14).

vitiare semel (c. 35), „sic fit ut (in rhetorum scholis) tyrannicidarum praemia, aut *vitiatarum* electiones, aut pe; tilentiae remedia, aut incesta matrum aguntur"; quae sunt argumenta disputationum inter rhetores usitatissima, quorum tituli hic citantur.

vituperare semel (c. 8).

dudum semel (c. 16).

ecce semel (c. 3), haec vox multo aptior videtur sermoni familiari quam historico [1]).

gratis semel (c. 9).

itaque ter legitur (c. 14, 30, 39), semper conjunctim cum voce „hercule", alibi semper „ergo".

praesertim bis (c. 10, 24).

pridem (sensu „ehedem") semel (c. 28).

propter (sensu „wegen") semel (c. 21).

non solum — sed etiam semel (c. 22).

si modo bis (c. 10, 9).

Huius generis vocabula (ut: dudum, propter, praesertim, non solum — sed etiam) multum probare possent, si *saepe* in Dialogo, numquam vel rarissime in ceteris libris legerentur; sed quid probare possunt voces, quae semel modo occurrunt?

se abstinere a semel (c. 40).

velle cum Inf. Perf. Pass. semel.

irrumpere in (sensu „in etwas einbrechen") semel legitur (c. 11) sed fere eodem sensu invenitur Ann. VI, 1, 6.

Non mirum est interiectas voces „credo", „opinor", „ut opinor" etc. in Dialogo saepe, in ceteris libris non occurrere; sunt enim formulae e sermone cotidiano, sed ab oratione historica alienae.

Conferri potest quod Cicero iucundissimo loco [2]) orationis pro Fontejo habet de voce „arbitror": Indutiomarum ex toto suo testimonio sustulisse verbum *arbitror*, „quo nos" Cicero ait „etiam tum utimur, quum ea dicimus iurati, quae comperta habemus, quae ipsi vidimus".

---

1) Neque magis mirum vox „hercule" saepe in Dialogo, nusquam fere in ceteris libris legi.

2) C. IX.

Eodem modo quo Cicero dicit vocem „arbitror" usurpari, Tacitus utitur vocabulis supra relatis. Vid e. g. c. 37 „non, opinor, Demosthenem orationes inlustrant quas adversus tutores suos composuit, nec Ciceronem magnum oratorem P. Quintius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt". Videmus Tacitum eodem iure voce „arbitror" uti potuisse. Intelligimus talia vulgaris sermonis esse, sublimiorem non decere.

Considerato Johnii catalogo videmus multa in eo esse verba, quae, propter libri argumentum, aut in solo Dialogo locum habere possint, aut saltem eius generis sint, ut non mirum sit ea in historicis libris non occurrere. Suntque praeterea nonnulla, quae in Dialogo non offendunt, quae tamen a sermone historico aliena sunt.

Mea facio, quod ad hanc rem pertinet, Vogelii verba [1]): „si non tam numeras quam ponderas vocabula, et id quaeris quod uterque pro materiae natura dicere potuerit, illud potius stupebis, quod in tanta rei tractatae diversitate non magis differunt Taciti historici libri a Dialogo".

Nihil enim restat, paucis modo exceptis, nisi vocabula, quae semel in Dialogo, numquam in ceteris libris occurrunt. Et quid ex eiusmodi rebus elucet? Num sic vinci potest „hostis in talibus rebus profecto maxime infestus, casus ludibrium" [2]).

Et in Germania, e. g. satis multa verba inveniuntur quae in nullo alio e Taciti libris leguntur. Percensui, quia hoc sufficere videbatur, sola ea vocabula quae a

1) pag. 275.
2) Sunt et haec Vogelii verba, pag. 255.

littera *a* incipiunt: sunt haecce: aedifico, alea, aliquantum, animo, aper, apparo, argenteus, aro, astutus; quorum maiorem partem non ex peculiari libri de Germania argumento originem ducere, procerto constat. Credo nullum fere ullius scriptoris exstare librum, in quo non verba aliquot occurrant, quae in ceteris eiusdem auctoris libris non inveniuntur: mero casui talia sunt tribuenda.

Ergo neque in Dialogi de Oratoribus argumento, neque in dispositione, neque in sermone, neque in verborum frequentia, quidquam esse apparet, quod credere nos vetet id quod sua natura maxime credibile est: librum tam egregium, tam plenum rerum, tanto artificio structum, non a tirone sed a viro maturo scriptum esse.

THESES.

THESES.

I.

Dialogus de Oratoribus post Domitiani regnum est scriptus.

II.

Dial. de Or. 17 vox „statio" non „annum" significat.

III.

Plinius Ep. IX, 10 „nemora et lucos" non ad Dialogum respiciunt.

IV.

Strodtbeckii sententia, ea quae Maternus de tyrannis dicit „ironice" esse accipienda, iam inde refellitur, quod in Dialogi capite tertio procerto sine ulla „ironia" Maternus de odio in tyrannos verba facit.

(Vide meam dissertationem pag. 39).

V.

Hor. Od. I, XXVIII non est dialogus, sed monologia, quae profertur ab umbra cuiusdam nautae.

VI.

Verg. Aen. V, 302:
„multi praeterea quos fama obscura recondit"
poëma epicum non decet.

VII.

Rectissime Boissierius demonstravit inter causas exilii Ovidii carmen de arte Amatoria non exiguum locum obtinere.

VIII.

Prop. III, 13. 19–21 legendum:
„Et certamen habent leti, quae viva sequatur
Coniugium: pudor est non licuisse mori,
Gaudent victrices, et flammae pectora praebent".

IX.

Val. Max. IX, 2, ext 11.
„Sicut illi Barbari, quos ferunt mactatarum pecudum intestinis, et visceribus egestis, homines inserere"
legendum: „pecudum corporibus, visceribus egestis, homines inserere".

X.

Val. Max. ibidem:
„donec intus putrefacti"
legendum: „donec illis putrefactis".

XI.

Luc. de morte Peregrini 10 (332) „γηρῶντα", legendum : „γεγονότα".

XII.

Luc. ibidem 4 (329), verba: „οὐ γὰρ 'Ασκληπιὸς καὶ Διόνυσος κεραυνῷ;" delenda sunt.

XIII.

Otto Seeckii rationes in libro „die Quellen der Odyssee", quod ad summam pertinet, laudandae sunt.

XIV.

Athenaeus Deipn. X, 437: „νενημένην", legendum „ἐνημμένην".

XV.

Soph. Phil. vs. 224 non est reiciendus.

XVI.

Thuc. III, 39, 8 „τῆς ἔπειτα προσόδου", legendum „τῆς ἀπ' αὐτῆς προσόδου".

XVII.

Aesch. Choeph. 560 „ξένος τε καὶ δορύξενος δόμων", legendum: „ξένῳ τε καὶ δορυξένῳ δόμων".

XVIII.

Cornelius Nepos, agens de morte Pausaniae (Paus. c. 5), male conglutinat id quod Thucydides (I, 134) hac de re habet, et eam narrationem, ex qua Diod. Sic. (XI, 45) hausit.

XIX.

Quamquam Thucydides (I, 67 et 139) non commemorat in decreto Megarensi fuisse „τοὺς δὲ στρατηγοὺς, ὅταν ὀμνύωσι τὸν πατρικὸν ὅρκον, ἐπομνύναι ὅτι καὶ δὶς ἀνὰ πᾶν ἔτος ἐς τὴν Μεγαρικὴν ἐμβαλοῦσι" (sunt haec Plutarchi, in vita Per. c. 30, verba), tamen huiusmodi aliquid in decreto inerat.

XX.

Tiberius, priore saltem sui regni parte, satis bonus fuit imperator.

XXI.

Thucydides, in loco ubi Plataeense obsidium describitur, (II, 75 sqq.) multa narrat quae credi vix possunt.